Daniel Cramer
(Holger Rosenkrantz)
Disputatio
de præcipuis logicæ
aristoteleæ partibus
1593


Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

14-46 - 8°
(LN bis 53)
Danske Afd.
BOX
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

14,-46

DISPVTATIO
DE PRÆCIPVIS LOGICÆ ARISTOTELEÆ PARTIBVS, QVAS

Orator quidam Pariſienſis Scholis ſuis inſectatus eſt:

Pro Ariſtotele.

Propoſita à

M. DANIELE CRAMERO.

Defenſa ab

OLIGERO ROSEN CRANTZ Georgij F. Nobili Dano.

Diſputata diebus 12. & 13. Ianuarij, Anni currentis, in Illuſtriſſima VVittebergenſium Academia.

Editio ſecunda correctior: adiuncto Catalogo conuitiorum in Ariſtotelem, & Reſponſionibus ad tria præcipua Argumenta contra eundem Autorem.

VVITEBERGAE

Typis M. Simonis Gronenbergij, 1593.

52023

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Lectori S.

IRrepſerunt vitia quædam Typographica in primam harum Theſium editionem, itaque viſum fuit faciendum, eaſdem repetere, & ad ſecundum prelum reuocare: maximè, vrgente me ipſo Typographo, qui exemplaria priora diſtracta ſignificauit, & rogantibus amicis, vt diſtinctis quibuſdam Marginalibus ſuperiorem editionem ornarem, cùm vt diſtinctior eſſet hæc Synopſis, tum vt eò dexteriùs Tyrones Ariſtotelici loca in Scholis Aduerſariorum inuenire & inſpicere poſſint. Tu Lector benedicenti bene precare, & vale.

M. D. C.

VIRIS

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

VIRIS CLARISSI-MIS, DOCTRINA ET uſu excellentiſ.

ANDREAE CHRISTIERNI Ripenſi;
ANDREAE CHRISTIERNI Kragio;
THOMAE FINCKIO Flensburgenſi;

IN ACADEMIA REGIA HAF-nienſi Medicis Doctoribus, Profeſſoribus, Amicis ſuis candidis & optimis, Salutem mittit

Oligerus *Georgij filius* RoſenCrantz.

NON admonitos, ſcio, Viri clariſsimi, cauſſas vos vobiſcum coniecturos facilè, cur hæc ad vos, (noctuas licet Athenas) exercitia philoſophica tranſmittã, ad vos, inquam, quibus cum non tam dudum de his ijſdem rebus, hoc eſt, de controuerſijs inter Gallum quendam

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Oratorem, non adeò ignotum, & Philoſophiæ principem Ariſtotelem, (ipſam potiùs veritatem, contra quam calcitrare non erubeſcit) colloquio iucundiſsimo, à viro Reuerendiſsimo PETRO VVINSTRVPIO, Doctore Theologo, Selandiæ Superintendente, conuiuio excepti, integrum fermè diem conſumpſi, dum alternis collationibus de rebus doctiſsimis communicantes, haud pauca de eiuſdem Galli παραδόξοις καὶ ἀδόξοις allata ſunt. Aderant tum temporis, qui vel aliàs publicis ſcriptis hunc de quo dico, Oratorem defendere non grauati ſunt; ſed & ij huic noſtro colloquio intererant, qui iam dudum Philoſo-

loſophum, Aristotelem dico, facilè eo, quo præſtabant acumine ingenij, ab obiectis mordicantium quiſquilijs liberârunt. Mihi verò, qui his ſtudijs à prima ætate ſummè delectatus, nihil veſtra conuerſatione contigiſſet iucundius, ſi modò manendi apud vos magnam voluptatem, diſcedendi ſumma neceſsitas non viciſſet, quæ me nolentẽ volentem vobis ſurripuit, quibus cum aliquandiu viuere mihi vita erat verè vita. Quare rediens nunc ad priſtina ſtudia & exercitia ſcholaſtica, quæ otium hoc liberale, in quo nunc viuo, ſubminiſtrat, veſtrã eſſe aliquam eorum partem volui vt debui, συζήτησιν quippe hanc

bus, vt quod non exiguam eorundem partem mecum, præſente M. DANIELE CRAMERO ἀγώγῳ meo, ſub cuius præſidio συζήτησις hæc inſtituta eſt, examinaueritis. Ad vos igitur hanc venientem, ſignũ abſentis præſentis animi accipite; &(ſi quod acceſſerit inſulſum inertis vulgi iudicium) pro veſtro more & amore vindicate, feliciq́; ac fauſto nouo huius anni auſpicio diu ſalui viuite, valete, & me, vt amatis, amate. Salutat vos M. DANIEL officioſiſsimè. VVitebergæ 7. Ianuarij, anni 1593.

I.

INeſt hominibus Natiua quædam vis & facultas, ratione vtendi, diſcurrendi, vnumq́; ex alio inducendi, qua omnibus ſeculis non tantùm Philoſophi, ſed & Idiotæ in communi vita vſi ſunt, & ſine arte fecerunt, quod Artis præceptis continetur, *lib. 1. c. 11. Soph. Elench.* In qua Naturali Logica cùm contingeret ſæpè in deuium abripi: Philoſophi iam antè in Matheſi varijsque Scientijs culti, diſcurſus hoſce naturales accurata σκέψει contemplati ſunt, & ἐν χρόνῳ atque διὰ τὴν ἐμπειρίαν (quæ gignunt Artes & Scientias, *Eth. Nic. c. 7. l. 1. Metaph. c. 1. l. 1. 2. Poſter. c. vlt.*) τρόπους ſeu Modos horum diſcurſuum diligenter collegerunt & conſcripſerunt, quibus poſtea mentes hominum adiutæ dexteriùs & certiùs facerent id ἐντέχνως, cum Arte, quod antehac ἀτέχνως, ſine Arte, fecerunt, *1. Metaph. c. 5.* Ars enim & Diſciplina implet id, quod deeſt naturæ. *l. 7. Polit. c. vlt.* *Origo Logicæ.*

II.

Initio autem hæc τῶν τρόπων collectio perfecta non fuit, ſed ſucceſsiuè inuenta, & quantum conſtat, Socrates doctrinam defi- *Succeſsiua Origo.*

niendi, obſeruauit *l. 1. Metaph. c. 6. l. 13. Metaph. c. 4. l. 1. c. 1. de part. Anim.* Rationem diuidendi Plato, *in Sophiſta circa fin.* Modum verò Ratiocinationis Syllogiſticæ ſic ſibi, *l. vlt. c. vlt. Soph. Elench.* tribuit Ariſtoteles, vt nihil huius à veteribus acceptum affirmet: quæ ergo confuſè inuenta erant, explicauit: quæ imperfecta, perfecit: quæ diſiecta, collegit, auxit, optimo ordine diſpoſuit, & Somatopœëticè in vnum Opus, primus redegit.

Vltima manus Ariſt.

III.

Deſcript. Nominalis.

Opus illud Organon appellat, quod & conuenienter χεὶρ τῆς φιλοσοφίας & Inſtrumentum Inſtrumentorum dicitur, quippe quòd ſicuti Manus, *l. 3. c. 8. de Anim. Et l. 4. c. 10. de part. Animal.* Inſtrumentum Inſtrumentorum eſt, quo reliqua particularia Inſtrumenta fabricari & confici queant: ſic Logica communiſsimum Inſtrumentum ſit, quo reliquæ Scientiæ (quæ & ipſæ mentis Inſtrumenta ſunt, *Probl. 4. Sect. 30.*) inueniri, confici & regi poſsint.

NB.

IV.

Pro hoc tam illuſtri Opere duo ſibi Ariſtoteles reddi petit, pro omiſsis quidem συγγνώμην, pro inuentis verò πολλὴν χάριν.

Soph.

Soph. Elen. in fin. quæ ipſi etiam debita cum veneratione ſemper ſana poſteritas reddidit. Extitit tamen noſtro ſeculo in Gallia quidam Academiæ Pariſienſis Profeſſor, quem quidam ſecuti ſunt, qui non tantùm Gratiam & Veniam ei non retulerunt, ſed & licet παραλελειμμένα omiſſa nulla adhuc probauerint, magno conatu magnam cladem (cum cæteris ſcriptis Ariſtotelicis) huic Operi intentârunt, vt in quo multa falſa, multa aliena & impropria, multa confuſa, ſuperflua & repugnantia eſſe proclamârint: Quo nomine plurimum referre videtur, ſi omnes ingenui φιλοσοφομειρακίσκοι nobiſcum liberam de his ea in re commiſsis diſquiſitionem, depoſito omni ἐκ τῶν παθῶν præiudicio, inſtituant, vt tandem vbi diſcentium mens figenda ſit, fiat manifeſtum.

V.

Plenariá auté Organi Logici ſeu Logicæ Eſſentiam & Naturam non tantùm in Præceptis, ſed & in Qualitate huiuſmodi, menti acquiſita conſiſtere ſtatuendum eſt, quo nomine Habitus dici merebitur, & quidem Intellectualis, non tamen Intellectualis Realis, quorum tantùm ſunt quin-

Inueſtigatio generis remoti.

que numero, *Eth. Nicom. l. 6. c. 3. Eudem. l. 5. c. 3. Mag. Moral. l. 1. c. vlt.* Sed inſtrumentalis habitus, cuius implicitè in definitione Scientiæ, (quæ per demonſtrationem definitur) facta ſit mentio: vt hinc in definiendâ Logicâ, Genus rectiſsimè per Habitum Inſtrumentalem aſsignetur, non autem per Artem, vel Scientiam, vtpote quòd neutrius genuina definitio Logicæ congruat.

VI.

Genus proximum.

Vulgari autem modo Scientiam, vt & Artem, prout Ars Stoicis per Syſtema certarum propoſitionum, exercitatione comparatarum ad finem in vita vtilem, deſcribitur, Logicam quodammodo Artem dici poſſe non diffitemur, ſed Artis illam definitionem genuinam eſſe omninò negamus, ſiquidem ea latiùs pateat ipſo definito, & non tantùm Arti, ſed & Scientiæ, omnibusq́; habitibus Docibilibus competat, verumq́ue Artis finem, qui eſt ποιητικὸς ſeu γενετικὸς, à fine Scientiæ, qui θεωρητικὸς eſt, non diſtinguat, cùm nemo non videat, quòd ſicut τὸ ποιεῖν & τὸ θεωρεῖν diſparata ſint, ſic neceſſariò quoque diſparatos eſſe debere habitus illos, quorum hic, ἐν τῷ ποιεῖν, ille ἐν τῷ θεωρεῖν, Eſſe ſuum formale habeat.

Et

VII.

Et hinc plenè & verè Logica definietur: Habitus inſtrumentalis verum à falſo diſcernendi. Sed hæc lis Ramiſtis cum Peripateticis inter ſe communis eſt. Definitio Logicæ.

VIII.

Quandoquidem autem Scientiæ ſecandæ ſint, quemadmodũ res de quibus ſunt; Res verò Logices de quibus, ſeu ſubiectum Logices, ſint νοήματα prima ſecundis ſubſtrata; & cùm ſecunda Noëmata prout prima reſpiciunt, dupliciter ſe habeant, vel vt communia ſeu pura, prout ad quamuis propoſitionem aptari poſsint, vel vt propria & mixta, prout ſpeciali modo neceſſarijs, probabilibus & falſis materijs immerſa conſiderentur: fiet hinc, vt Logica rectè in Communem & Propriam partem ſecetur: quarum Illa tribus Ariſtotelicis libris Categoriarum ἑρμηνείας, & Analyticorum priorum abſoluitur; Hæc verò tribus tractatibus ſequentibus. Diuiſio.

IX.

Nec eſt illa Diuiſio Logicæ, quam ex veteribus quibuſdã Oratoribus afferunt, in Inuentionem & Iudiciũ, melior; ſed pluribus modis imperfecta: Primò enim abutuntur vocabulo Iudicij, quod cùm propriè ſit de Ramus lib. 1. Dial. cap. 2.

de facto iam Syllogiſmo, bonúsne malúsve ſit, tam ratione formæ, quàm materiæ pronunciare, ij Iudicium ad formam contrahunt, ſic, vt ipſam Syllogiſmorum γένεσιν (quæ in terminis ritè diſponendis occupatur) contra omnem vocabuli & rei naturam cum γενέσεως Iudicio confundant, cùm toto cælo diſtet, Syllogiſmum ſecundum formam gignere ſeu diſponere, & genitum etiam ſecundum formam nedum ſecundum materiam iudicare, vt vna definitione nequaquam hæc duo (quod illi faciunt) confundi debeant. Eodem modo & Inuentio propriè loquendo duobus modis conſiderari poteſt, tam pro inuentione materiæ, quàm pro inuentione formæ, quæ hæc tamen ad γένεσιν ſpectat, vt de ea libris Anal. Prior. & ſpeciatim cap. 27. 1. Prior. docebitur.

X

Hinc elucet, quòd ſicut Inuentio formæ, in γένεσιν (quam illi ſimul Iudicium vocant) coincidat, ſic quoque vice verſa Iudicium materiæ in Inuentionem coincidere, & totaliter ſe per Inuentionem diſſeminare. Quis enim abſque Iudicio poteſt Locos pertranſire? quis niſi inter inueniendum Materiam ipſam iudicet, aptam ſibi depro-

depromere poterit, niſi chaos inde, & quiduis pro quouis, velit eruere? vt ita, licet duas tantùm partes nominent, reuerà tamen ad minimum tres faciant, 1. Inuentionem materiæ. 2. Structuram formæ Syllogiſmorum. Tertiò, Iudicium, formam materiæ imprimens, eaſque iudicans: vt ſit, 1. qui inueniat argillam. 2. qui apparet Modulos ſeu formas 3. qui Argillæ formam imprimat, & vtrumque iudicet.

XI.

Sed eſto, demus eis, vocabula Inuentionis & Iudicij contra natiuam ſuam generalitatem ſtrictiùs ſumi poſſe, illud pro ratione exquirendi Argumenta ſeu terminos, hoc pro diſpoſitione argumentorum ad bene iudicandum: eueniet, vt diuiſio illa ad totum opus Logicum aptari non queat, cùm ſtrictior ſit, & vnicum ſaltem vſum Argumentationis in actu poſitæ reſpiciat, ſimpliciumque terminorum, de quibus in prædicamentis agendum eſt, explicationem omittat, imò totam Logicæ partem communem, quæ extra omnem συμπλοκὴν materiæ eſt, vel prætereat, vel præpoſterè cum Materia confundat. Et hæc ſecunda imperfectio eſt huius diuiſionis.

Præ-

XII.

> Fatetur Talæus, aliud eſſe præcipere, aliud præceptis vti. D.R. p. 229.

Prætereà ſi demus, ſub Iudicio γένεσιν formæ Syllogiſticæ contineri, tunc non neceſſariò Inuentio prior erit, quàm Iudicium: Nam licet Argumentatione in actu VSVS poſita, materia argumenti priùs inueniatur, quàm ad concludendum aptetur, non tamẽ ob id neceſſe eſt, ordine doctrinæ antè ſciri, qua ratione inueniri poſsint argumenta, quàm quomodo formæ apparandæ ſint, & quomodo eæ ſe habere debeant, in quas argumenta ſuo tempore redigi poſſint, intelligatur, imò potiùs neceſſe eſt, antè conſtare de formis Argumentatorijs materiæ inducendis, quàm de Materia, quæ formari debeat.

XIII.

Vulgari id exemplo declarabo: Licet in ſtructura laterum, Argilla priùs effodi debeat, quàm lateres figurentur: tamen æquè neceſſe eſt etiam antè habere Modulos ſeu Formas laterũ argillæ imprimendas, quàm Materia inuenta ſeu effoſſa formetur: Vnde Argilla quidem prior eſt, quàm Argilla formata, ſed Ordine non prior, quàm ipſæ formæ argillam formantes. Quod cùm non obſer-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

obſeruetur, tertio modo diuiſio ſuprà dicta imperfecta eſt.

XIIII.

Ex his omnibus colligi poteſt, nos Diuiſionem hanc ἁπλῶς non reijcere, ſed concedere veram eam eſſe in VSV Logices, h. e. cùm iam Tyro Logicus omnia ea, quæ in Logica ad cognitionem Materiæ & Formæ faciunt, perfectè didicerit, iamque ea præcepta in vſum Argumentandi, in quacunq; diſciplina, referre voluerit: tunc neceſſe eſſe priùs eum colligere Materiam, & poſtea eandem ſecundum præſcripta Logica formare. Quòd autem ideo hæc Diuiſio toti Logicæ, ratione Eſſentiæ ſuæ internæ, rectè congruat, illud negamus. Vſus enim præſubſtituit & fabricationem & modum fabricationis, eius, quod in vſum adhiberi debet.

XV.

Subiectum Logica commune cum Metaphyſico habebit, νοήματα nempe prima, ſed non eodem modo: Metaphyſicus enim Entia ſeu Noëmata prima obtinet, quatenus talia; Logica verò, quatenus ijs Entia Rationis, ſiue νοήματα νοημάτων, ſeu ſecundæ notiones & intentiones, imprimi poſſunt: ſiue, breuiter dicendo, Subiectum.

Meta-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Metaphyſicus prima Noëmata tractat πρώτως primò: Logica ἑπομένως ſecundariò, primò autem ſecunda Noëmata. Quicquid ergo Logica primarum Notionum in Prædicamentis poſsidere videbitur, id non κτήσει, ſed χρήσει tenebit.

XVI.

Quàm verum ergo ſit, quòd illi Subiectum Logices Ens & non Ens faciant, facilè ex his liquet: Ens nimirum non ſimpliciter vt Ens, ſed limitatè, quatenus ei Noëmata ſecunda imprimuntur, Logices ſubiectum eſſe dicendum: nequaquam autem non Ens, vtpote Chimæra & huiuſmodi fictitia, cùm ea nec Noëmata prima faciant, nec ob id vllam ſecundorũ impreſſionem admittant, ſiquidem ſecunda Noëmata nulla ſint primis non exiſtentibus. Quòd autem ideo, quia falſa ſint nõ Entia, in quorum refutatione ſæpè Logica verſetur, non Ens ſubiectum logices faciendum putent, non ſequitur: Cùm enim non Ens ex Relatione ad Ens, falſum ex Relatione ad verum dicatur & intelligi poſsit; & Logicus Sophiſtas circa non Entia vt Entia verſantes tantùm refellat, non Entia probando non eſſe Entia: circa ipſa Entia

verſabitur, vt non Entia ab ijs remoueat. At ſi quis Logicæ rationis vſus eſt, in Poëta vel Oratore quodam, agente de fabula vel aliquo non Ente, tum Logicus non ipſum non Ens Logicè conſiderat, ſed ipſum Poëma & Orationem, & deductionem vnius ex alio, tanquam de rebus verè exiſtentibus, quæ nemo ſanus non Entia dixerit, tractat. Malè igitur illi; qui ſubiectum Logices ſimpliciter dicant Ens & non Ens.

XVII.

Finis, vt ex definitione patet, eſt verum à Falſo diſtinguere, vt ſicut ſerra ad ſerrendum facta ſit, ſic Logica ad Verum à Falſo diſcriminandum, vt, ſiue ea ſerrat, ſiue non ſerrat actu, nihilominùs ſerra dicatur; ſic licet Logica Logici actu verum à falſo non diſtinguat: nihilominùs tamen Logica dici queat, ne abſonum ſit, Finem Logices ſtatuere veritatē, quæ tamen ſemper ab hoc vel illo Logico non obtineatur, cùm in reliquis quoq; artibus accidat, finē non ſemper obtineri, vt Piſcator, Venator, licet non ſemper feras vel piſces conſequatur, ob id Piſcator vel Venator eſſe deſinat. *Finis.*

XVIII.

Atque vt officium Piſcatoris eſt piſca-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

ri, ſic Logices officium eſt benè diſſerere, ſiue rectiùs λογίζεσθαι, hoc eſt, præſtare omnia ea, quæ in præceptis totius operis Logici exhibentur & præcipiuntur: quæ duo cùm nec vnum ſint, nec inter ſe confuſa, ſed differant vt Terminus & Itio ad Terminum, malè ab illis pro vno & eodem habentur.

Officium.

XIX.

Cùm autem hoc officium, quod eſt benè diſſerere, fiat Syllogiſmo, vt proximo Animæ diſcurrentis inſtrumento, Syllogiſmus verò ex Propoſitionibus, Propoſitiones ex Prædicato & ſubiecto, tanquam ex Elementis ſimplicibus, conſtent; ideoque ad officium rectè diſſerendi præſtandum, à Simplicium terminorum, quæ prædicata & Subiecta conſtituent, tractatione, inchoandum eſt.

XX.

Simplicia ea per decem Ariſtotelis Categorias pertractantur, vbi omnium rerum in tota naturæ vniuerſitate (quibus Logica inſtrumentaliter ſeruire deputata eſt) Liber proponitur, quo tanquam in certas claſſes referantur res omnes, prout primo aſpectu menti obijciuntur, vt ex intuitu hoc generico vis & affectio earundem ſubiectiua & prædicatiua in Propoſitionibus, quas

Categoriæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

quas ingreſſuræ ſunt, euidenter concipi & apprehendi queat, aliàs nec vlla enunciatio, nec vlla definitio, nec vlla diuiſio, nedum Syllogiſmus artificialiter componi poterit.

XXI.

Quærâris enim quid de Planta dici, & de quo, Planta dici queat? quid ſit Planta? An, et quomodo diuidi poſsit? An viuat, an non? ad nulla reſponſum dare poteris, niſi Categoreticam eius plantæ habeas cognitionē, eamq; ad genus ſummum Subſtantiæ reducendam didiceris, quod dum percurras, ad omnes has quæſtiones Logicè propoſitas, Logicè tandem reſpondebis.

XXII

Neq; eſt, quod dum hæc tractamus, inſimulemur vllius vitij ἑτερογενείας, ac ſi aliena, & ea, quæ alibi tractentur in ſuis Artibus & Scientijs, aut quæ Metaphyſicus tractet, huc peruersè reducamus, cùm Logicus ea non conſideret ὡς ὄντα, ſed tantùm Categoreticam σχέσιν, ſeu quam habilitatem & aptitudinem prædicandi & ſubijciendi ad ſe mutuò habeant, vt dictum eſt, indaget, vnde hæc Prædicamenta ei ſumma Genera, non verò ſumma rerum Entia, vt Metaphyſico, dicuntur. Talæus lib. 2.c.2. com. Dial.R.&t

XXIII.

Vt exempli gratia: Cùm Logicus in Prædicamento Quantitatis de Numero tractat, Arithmeticus non eſt, quandoquidem non hoc agat Logicus, vt Numeri affectionem, Compoſitiones, Diuiſiones, Numerandi ſpecies perſequatur: ſed vult tantùm oſtendere, ſub quod genus hoc Ens concidat, vt cùm à Philoſopho Propoſitio vel definitio aliqua Numeri petatur, ille per Organum logices, quódnam genus Numeri in definitione collocandum ſit, aut quid de numero dici queat, ſcire poſsit. Simile iudicium eſto de Subſtantia, Qualitate, &c.

XXIV.

Dial. Scolar. li. 4. c. 6. videt hanc ſolutionem & nihil reſpondet.

Vnde nullius momenti cauſſa eſt, cur illi Prædicamenta ex Logica exſtirpârint, aut cur nos eo nomine ἑτερογενείας alicuius inſimulent, cùm longè alio modo alioque reſpectu ſumma Entium genera in Logica, aliter in Metaphyſica tractentur, cumque non abſurdum ſit, vnam eandemque rem à duabus vel pluribus etiam Scientijs tractari, modò ne vno & eodem modo & reſpectu tractentur.

Cate-

XXV.

Categoremata autem ſeu prædicabilia cur à Porphyrio præmiſſa ſint, ipſe titulus libri ſatis docet, nempe vt ſint ἐισαγωγικὰ, neceſſaria & vtilia NOBIS ad Categorias rectiùs intelligendas, vt differentia Categoreticæ σχέσεως inter ſe mutuo & ad alia fiat euidentior, & vt omnia ſimplicia ceu nominibus & notis ſuis certis, quæ ſimpliciter prædicari, quæ ſubijci & prædicari ſimul & quomodo poſsint, notentur, ſiquidem quicquid de aliquo enuncietur, vel vt ſpecies, vel genus, vel differentia, vel proprium, vel accidens ſe habeat.

XXVI.

Nec eſt, quòd hæc in Topicam conijcienda obtendant illi, cùm toto cælo diſtet, *Prædicabilia.* rem, vt Genus, vt Proprium, vt Accidens conſiderare, vel rem, quæ, vel Genus, vel Proprium, vel accidens eſt, tanquam Argumentum ſeu Terminum ex locis ad alicuius Propoſitionis conſtitutionem, vel ad confirmationem concluſionis adhibere: vt differt ſi dicam; Loqui, eſt propriū Hominis, mori eſt Accidens, quàm ſi concluſero, Petrum loqui, vel Petrum eſſe hominem, quia loquatur: Petrum eſſe compoſitum

ex quatuor Elementis, quia moriatur, cùm hoc illius cognitionem præſupponat, nec vnquam quiſpiam Concluſionem, vel ex Proprio vel Genere confirmare ſciat, niſi priùs quid, vel Proprium, vel Genus &c. ſit, peculiariter didicerit. Peculiaris ergò doctrina erit, ipſa Prædicabilia explicare, & beneficio explicatorum Prædicabilium argumenta educere.

XXVII.

Cap. 12. lib. 3. Schol. Dial.

Qui verò vtrumque in Topica ſimul docendum & explicandum autumant, ij ipſi contra naturam & definitionem Topicę ſuæ faciunt, vtpote quæ tantùm definiatur Argumenta ſuppeditare, non verò Argumentorum Locum definire: vt hæc Definitio vel impropria ſit, vel nimis ſtricta, vel obſcura, vel doctrina Prædicabilium diuerſa ſit à Topicis.

XXVIII.

Anteprædicamenta.

Sicut autem ad maiorem intellectum Prædicamentorum opus erat Iſagoge Prædicabilium, ſic quoque alia adhuc doctrina opus erat ad doctrinam Categoriarum, in qua differentiæ vocabulorũ, quæ cognitionis noſtræ ſymbola ſunt, explicantur, quam AntepTrædicamenta vocant. Niſi enim quis ſciat

ſciat quid Homonyma; quid Synonyma; quid Paronyma; quid dicta cum complexione; quid ſine complexione; quot modis item τὰ ὄντα exiſtant, & quomodo ſecundum latitudinem & longitudinem Prædicamenta conſideranda ſint; nunquam de Prædicamentis iudicium ferre poterit.

XXIX.

Nec potuerunt nec debuerunt hæc omitti, cùm aliàs Logicus Tyro in inextricabiles traduceretur errores, niſi de ijs præmoneretur; nec Grammaticalia ea meritò criminentur, cùm non omnes vocabulorum explicationes ſint Grammaticæ, quandoquidem quæuis Scientia ſuos explicet terminos, vt Mathematicus ſua vocabula technica, Metaphyſicus ſuæ Scientiæ ambiguitates Metaphyſicales; Iuriſconſultus ſuas verborum ſignificationes: nec ipſum etiam, quod Grammaticus Homonymon & Synonymon dicat, hîc Synonymon dicatur: nec quod Paronymon Grammatico, hîc quoque paronymon dicatur.

XXX.

Nam licet largiar, quòd Homonymon Logicum, & Polyſemon Gramma-

ticum idem ſint, tamen in eo adhuc differentia eſt, quòd Grammaticus in ſuis Polyſemis non attendat, an Identitatis, vel eſſentiæ ſuæ ratione aliquid commune habeant, an non? quomodóve ſecundum vnum vocabulum definitiones vel eaſdem vel diuerſas habeant? Conſideratq; Logicus & Grammaticus rem vnam, ſed non vno modo eodemq; reſpectu. Synonyma autẽ Grammatica & Logica qui idem eſſe dixerit, is profectò quid neutrum ſit, intel-
Scb. Dial. ligit. Grammatico enim Enſis & Gladius
lib. 4. c.2. Synonyma ſunt: Logico verò Bos, Equus, Simia, reſpectu Animalis, Synonyma dicuntur.

XXXI.

Sic in Paronymis Caſualem & Etymologicam tantùm terminationem & deriuationem Grammaticus obſeruat: Logicus formationẽ & denominationem eam, quæ fit ſecundum Naturam: Hinc Grammatico Fortitudo deriuatur à Fortis: Logico verò vice verſa, Fortis à Fortitudine. Logico enim Abſtractum prius eſt Concreto; talia vocabula, Logico ſunt ea, quæ vnum ſimpliciter non ſignificant, ſed ſubiectum cum Accidente concretè adſignificant. Neque Coniugata ea ſunt, quandoquidem non

omnia

omnia coniugata Paronyma, neque hîc vt Coniugata Topica conſiderentur: Et his præmonitis tandem ad Prædicamentorum doctrinam tranſcendit.

XXXII.

In calce autem Categoriarum, peculiarem, quinque vocabulorum Homonymorum, vt: *Poſtprædicamenta.*

1. Oppoſitorum
2. Priùs
3. Simul
4. Motus
5. Habere;

explicationem ſubiunxit; ea nempe de cauſſa, vt abſolueret verum intellectum Prædicamentorum, & tanquam autographus commentator multa, quæ paulò antè in prædicamentis dicta erant, explicaret, cùm horum vocabulorum in ijs ſæpiſsimè facta eſſet mentio. Quibus conſideratis, facilè, quæ hîc obijciuntur, ſoluuntur: Præcipuè ad Inuentionis Logicæ partem hæc eſſe reijcienda: cùm nequaquam hîc conſiderentur, prout concluſionum argumenta ſuggerant, ſed prout Prædicamentorum intellectui inſeruiant. & hîc iterum inculcamus, vnam rem diuerſis vnius Sci-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

entiæ locis conſiderari poſſe, modo & reſpectu variato. Quòd porrò Ariſtoteles lib. 8. c. 7. ἀκρ. tres tantùm modos Prioris recenſeat, hîc verò quinque, nullius inconſtantiæ Ariſtotelem conuincit. Hîc enim tantùm docet, quot modis Prius dicatur, illic quot modis vnum Ens reuerà altero prius ſit, & ob id tot aſſumpſit ſignificationes Prioris, quot ſuo vſui erant conuenientes.

XXXIII.

Nomen & Verbum.

His igitur omnibus ſimplicium Notionum differentijs, ſecundùm quas ſubijciuntur & prædicantur, expenſis, ad ipſam Enunciationum ex his ſimplicibus terminis compoſitionem tranſgreditur: Quæ Enunciatio cùm per genus λόγον, Orationem, definienda eſſet, vt, quid Oratio eſſet etiam intelligeretur, de Elementis Orationis, hoc eſt, Nomine & Verbo paucula præmittit, peculiari nimirum modo & reſpectu, qui ad hanc rem erat neceſſarius, eatenus ſcilicet de Nomine & Verbo præcipiens, quoad reſpiciant paſsiones animi, & prout ſint ὁμοιώματα νοημάτων, ſimula-

cra

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

cra conceptuum, partes Enunciationum conſtituentia, vt beneficio Nominis & Verbi Oratio Enunciatiua ex Subiecto & Prædicato conformetur. Quibus obſeruatis facilè ad Aduerſariorum, quam hîc obijciunt, ἑτερογενίαν reſponderi poterit.

Schol. Dial. lib. 5. c. 4.

XXXIIII.

Rectiùs autem Enunciatum per Orationem quàm per Diſpoſitionem definitur, cùm hoc genus illo multò ſit latius, & ob id remotius, vt ex conuerſione facilè patebit. Dicere enim poſſum: Omnem Orationem eſſe diſpoſitionem, non autem contrà, Omnem diſpoſitionem eſſe Orationem; quod ipſum noſtræ definitionis perfectionem, illorum imperfectionem arguit.

Enunciatio.

XXXV.

In differentijs autem Enunciationum præter affectiones, quæ ex Quæ, Quali, Quanta ſumuntur, de Finitis & Infinitis terminis, Finitis & Infinitis Enunciationibus non debet non fieri mentio in Logica. Dici enim non poteſt, in quam confuſionem rudiores abſque harum diſtinctione prolabantur: Nam præterquam quòd negatiuas Enunciationes dicent eas, quæ

Schol. Dial. lib. 6. c. 3. agnoſcit hoc diſcrimen, & tamen in præceptis Dial. omittit.

Affir-

Affirmatiuæ ſunt, & Syllogiſmos purè Affirmatiuos & bonos, purè negatiuos & falſos, nunquam duarum contradictoriarum naturam penitùs intelligent. Pro eodem enim habebunt: Non eſſe hominem, Et, eſſe non hominem, quam pari paſſu propoſitioni, Eſſe hominem, contradictoriè opponent ineptiſsimè. Huic doctrinæ inſeruiunt, quæ de Eſt primi, ſecundi & tertij adiecti ab Ariſtotele dicuntur.

XXXVI.

Modales. Adde quòd ad perfectam Enunciationum naturam Modi quoq; quatuor, vt ſunt Neceſſariũ, Poſsibile, Impoſsibile, Contingens conſiderandi ſint; diuerſiſsimæ enim ſunt harum Modificatarum conſiderationes & affectiones ab Abſolutis. Inter cætera enim benè obſeruandum, ſigna affirmantia vel negantia Modis addenda eſſe, aliàs fiet, vt duæ contradictoriæ de vna & eadem re ſint veræ, quod eſt abſurdum: vt fac contradictionem huius: Poſsibile eſt Petrum ambulare; erit, Non poſsibile eſt Petrũ ambulare: non verò hæc, Poſsibile eſt Petrum non ambulare.

XXXVII.

Sch. Dial. ca. 3. lib. 6. Hoc Axioma vt falſum euincat Pariſienſis, grande affert Sophiſma: ſcilicet

Socrates

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Socrates eſt Leo neceſſariò,& Socrates eſt Leo non neceſſariò,in quo regulā hanc fallere,nullamq́; hîc contradictionē eſſe,cùm vtraq; ſimul falſa ſit, proclamat: Fallit autem & fallitur, quòd dum abſurdè huic Enunciationi (Socrates eſt Leo) Modum addat, eundemq́; per ſignum iterū neget, poſteà captioſè falſitatē,quæ ratione Modi ſolius ſumenda erat abſq; complexione,ratione Enunciationis abſurdæ, ſumit cum complexione, & veritatem falſitatémve, quā in & ex Modo æſtimare debebat,cum veritate & falſitate, quæ in Enunciatione per ſe abſurda(Socrates eſt Leo) erat, confundit: quatenus enim neceſſarium & non neceſſarium huic abſurdæ Enunciationi additum abſq; complexione ſumitur, contradictio eſt manifeſta: vt, mutata forma locutionis patebit: Socratem eſſe Leonem, eſt neceſſariū: Et,Socratem eſſe Leonem, eſt non neceſſarium;apertè contradictio,veritas & falſitas patet,quæ in altera locutionis forma etiam erat,ſed non tam euidens, & corrumpebatur in intellectu Auditoris ex ambiguitate reſpectus.

XXXVIII.

Adhuc manifeſtior erit contradictio,

ſi pro

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

ſi pro Socrate α, pro Leone β ſumatur; vt α eſt β neceſſariò, Et, α eſt β non neceſſariò, hîc eſſe neceſſariò & non neceſſariò, apertè contradicet.

XXXIX.

Obſeruetur etiam ſemper ex Hypotheſi vnam propoſitionem vel veram eſſe, vel vt veram poni, vt eſto verum, quòd Socrates ſit Leo neceſſariò, falſum erit, quòd Socrates ſit Leo non neceſſariò, cùm longè aliud ſit, verum vel falſum eſſe aliquid in ſe, & verum vel falſum eſſe aliquid in reſpectu.

XL.

Vnde manifeſta redditur fallacia huius Sophiſmatis, quî factum ſit, vt vtraq; propoſitio in adducto exemplo falſa, & non contradictoria eſſe viſa fuerit. Ex quibus omnibus facilè liquet veritas, vtilitas & neceſsitas (quod illi negant) omnium eorum, quæ ad hanc doctrinam Modalium ſpectant.

XLI.

Lib. 6. c. 3. & 4. Schol. Quærat autem Pariſienſis, cur Ariſtoteles quatuor tantùm Modos, non verò plures

plures paucioréſve elegerit, cùm infiniti dari poſsint; ſiquidem omne Adiectiuum ſubiecto vel prædicato adiectum, idipſum modificet ſeu limitet? Sed ſciendum, Adiectiua alia præter hæc, deſcriptiones tantùm eſſe ſubiecti & prædicati ſpeciales, ex ſpeciali rerum conſideratione ortas, quæ reſtringant Subiectum & Prædicatum ad certum aliquod genus Entis, nec immutent formam Enunciationis: hi verò Modi voces ſint determinantes, quomodo Subiectum prædicato inſit, cum mutatione formæ Enunciationis, ſintq; limitationes maximè communes omnibus Scientijs, ſumptæ ex generali rerum conditione Actus & Potentiæ Aliter enim ineſt quod potentia, quàm quod actu ineſt: & aliter, quod ineſt actu, qui poſsit ſe aliter habere, quàm quod ineſt actu, qui non poſsit ſe aliter habere: & aliter tandem non ineſt, quod neque actu neque potentiâ ineſſe poteſt. Vnde hi quatuor tantùm modi emergunt.

XLII.

Ex Enunciatis ſeu Propoſitionibus Syllogiſmus componitur, qui eſt Ratio, in qua Syllogiſmus. poſitis, quibuſdam, aliud quiddam, præter poſita accidit & cõcluditur, ex neceſſitate,

propter

Dial. lib. 2. c. 8. Schol. l. 7. c. 5.

propter poſita. Quam definitionem qui imperfectam dicunt, aliam dant, vocantque Syllogiſmum Diſpoſitionem, qua quæſtio cum Argumento diſpoſita neceſſariò concluditur. Sed vt noſtra non eſt imperfecta, ſic nec hæc perfectior, imò multis numeris imperfecta.

XLIII.

Quod enim ad Genus attinet, dubiũ non eſt, Ariſtotelẽ λόγον Rationem, Ratiocinationẽ & Argumentationẽ genus Syllogiſmi ponere proximũ & genuinum, vtpote quod diſcurſus τὸ εἶναι conſtituat, non autẽ Diſpoſitio. Quis enim non videt, τὸ τάττειν, Diſpoſitionem, conſequi ipſam rationem, & longè latiùs τοῦ λόγου patere: quid enim non eſt, quod vel Diſpoſitio vel Diſpoſitum ſaltem eſſe, dici queat? Et ſi conferantur hæc duo genera, palàm eſt, dicere me poſſe: Omnis ratio eſt Diſpoſitio; non verò viciſsim: Omnis diſpoſitio eſt ratio, vnde Diſpoſitio remotius genus erit quàm Ratio. Nec obſtat quod inſtant: Subijci hæc verba (qua quæſtio cum Argumento diſpoſita &c.) nam præcipuo illorum interprete teſte, his verbis Differentia & forma Syllogiſmi declaratur, de qua nunc

Talæus Dial. Ra. c. 8. lib. 2. comm.

non

non agitur, ſed de Genere ſaltem, quod illis Diſpoſitio, nobis Ratio ponitur, litigatur.

XLIIII.

Deinde, quòd ſequentia verba in definitione Ariſtotelea veram differentiam ſpecificam Syllogiſmi non exprimere dicant, inde fit, quòd ea non rectè intelligant: Inſtant enim: Venti incubuere mari, Crebris micat ignibus æther, Ergo neceſſariò ſequitur fuiſſe tempeſtatem. Sed hac in re non vident, quòd id ſequatur propter neceſsitatem materiæ, non verò formæ: Ariſtoteles autem in definitione ſua loquitur de neceſsitate formæ, dum ſe expreſsè refert ad θέσιν τινῶν, & τὸ κεῖσθαι τινῶν, quod de translocatione Propoſitionum in certam formam & figuram accipiendum eſſe nemo non intelligit: Vnde & 1. Topic. pro his verbis (τῷ ταῦτα εἶναι) ponit verba: διὰ τῶν κειμένων: vt monſtret ἀνάγκην τοῦ κεῖσθαι vel τῆς θέσεως, id eſt, legitimam terminorum & propoſitionum Diſpoſitionem; quo animaduerſo inſtantia allata nullius eſt momenti.

XLV.

Sub vocabulo autem λόγος, vt & reli-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

quis in Definitione poſitis partibus, hau
obſcurè indicat, non tantùm quòd in Syllo-
giſmis à notis ad ignotiora progrediendun
ſit, ſed & ad Baſin & radicem totius artifi-
cij Argumentatorij ſe reuocat, nimirum a
Dici de Omni & de Nullo. Illud, quand
nihil eſt ſumere Subiecti, de quo alterum
non dicatur; Hoc, quando nihil eſt ſumer
Subiecti, de quo alterum non remouebitur,
vt in illo fundentur Affirmantia, in hoc Ne-
gantia.

Deci de Omni & Nullo.

XLVI.

Et hæc principia Logica ex natural
illa luce, mentibus hominum à Deo inſita
dependent, imò ἀυτόπισα ſunt & ſumma
ex quibus demonſtrari poteſt omnium ra-
tiocinandi neceſsitas, qua nimirum aliqui
naturali inſtinctu nouit, ſi velit aliquid con-
cludere, & ex alio colligere, ſumendum eſ
ſe id, quod generalius ſit latiuſque pateat
eo quod vult ſubſumere, & poſtea ſub
complexum illius ſupponendum aliud mi-
nùs latè patens, vnde oriatur concluſio
Hoc verò vnicum, Anima eſt, vt ſic loquar
Syllogiſmi, cuius cùm in illorum Defini-
tione Syllogiſmi, nulla facta ſit mentio
nihil minùs quàm pro vera & perfecta de-
finitione habenda eſt.

Ne

XLVII.

Nec, vt illi putant, ex Logica hæc ex- Schol. lib. 7.
ſtirpanda ſunt: nî enim cauſſa reddatur, vn- ca. 3.
de hæc collectionis vis deducatur, ipſum-
que διότι monſtretur, nihil profectò ea in
re ſciri poterit, ſemperque mens extra πίστιν
in perpetua ἀπορίᾳ & ἐπιπολαζούσᾳ δόξᾳ,
ſuperficiali opinione fluctuabit, cùm ſcire
ſit rem per cauſſas cognoſcere, &, cur hæc
res certò ſic ſe habeat, & non aliter, videre.

XLVIII.

Partes Syllogiſmi ſunt, duæ Præmiſſæ Partes Syllogiſmi.
propoſitiones, Maior & Minor, tertiaque
Concluſio: quæ in ſuos terminos diuidun-
tur, Maiorem, Minorem & Mediũ, ex quo-
rum terminorum varia ad ſe inuicem tranſ-
locatione, tres ſecundum dicta Principia,
Syllogiſmorum oriuntur Figuræ: quarum
prima habet Medium in Maiore pro ſubie-
cto, in Minore pro Prædicato: In ſecunda
Medium in vtraque prædicatur: In tertia
Medium in vtraq; ſubijcitur.

XLIX.

In his Figuris, quæ priori loco ponen- Schol. l. 7. c. 5. 6. 7.
da ſit, etiam controuertitur. Cur autem A-
riſtoteles Primam nobis Figuram, primam

Schol. l. 7. c. 5. 6. r. fecerit, non eſt obſcurum: cùm enim Syllogizandi vis immediatè ex principijs Dici de omni, vt dictum, pendeat, & primò illa vis ſeu forma actu in prima figura pateat, & ad oculum ſit euidens, vt quod directè à notioribus abſolutè ad ignotiora progrediatur, Mediumque θέσει & φύσει habeat; rectè fecit Ariſtoteles, quòd ei primum locum aſsignârit, eiq́; reliquas duas ſubiecerit, vtpote quòd abſolutiſsima ſit, cui conſequentiæ perfectio, euidentia, generalitas & dignitas hunc locum tribuat. Cùm autem in confeſſo ſit apud illos, ea ſemper priori loco ponenda eſſe, quæ ſimpliciter ſint generaliora & naturâ notiora, Ergo eo ipſo contra ſe concludent, non Tertiam primam, ſed primam nobis, Primam faciendam eſſe.

L.

Leuis verò obiectio eſt, quam afferunt, eam primam eſſe debere, cuius diſpoſitio Medij ſit ſimplicior, in Prima autem noſtra Diſpoſitionem eſſe & anteceſsionis, & conſecutionis, in ſecunda verò Conſecutionis, in Tertia Anteceſsionis, Tertiam ergo primam faciendam, & Primam Tertiam. Quid verò quæſo hîc inſignis ſimplicita-

plicitatis, quòd Medius Terminus vel ſaltem antecedat vel ſaltem conſequatur, vel ſimul & antecedat & conſequatur? Nulla hîc ſimplicitas, nulla hîc duplicitas aut multiplicitas, cùm nimirum anteceſsio & conſecutio, nec multiplicet, nec ſimplicitet (vt ſic loquar) terminum medium, nec vllam inducat Figurarum neceſſariam ordinationem. Si enim Medius terminus bis efferatur, ſiue vt vtrinque antecedat, ſiue vt vtrinque conſequatur, ſiue vt ſemel antecedat, ſemel conſequatur, eſt & manet vnus terminus Medius, ſimplex, & nequaquam illa prolatio ſeu anteceſsio & conſecutio infert Figurarum ſimplicitatem, nec vlla hîc præter nudam affirmationem datur ratio, quòd inferat. Et quærerem ego, cur ſecunda Figura præ Tertia non ſit facienda Prima? An anteceſsio ſimplicior eſt conſecutione? An verò, quia Terminus Medius in diſpoſitione, ergo hæc Figura prima eſt facienda? Si hoc affirmatur, eodem modo Secundam vltimam faciendam eſſe dixerim, ideò quia terminus Medius in Diſpoſitione vltimo ſit loco, vt vel hinc appareat φιλαυτιλογία illorum hominum in Ariſtotelem.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

L I.

Cùm verò paulò antè dictum ſit, apertè in prima Figura Principia Syllogiſtica conſpici, actuque in ea ineſſe, facilè colligitur, in reliquis Figuris tam aperta ea non eſſe, ſed potentiâ ſaltem, vt eleganter Auerroës dixit. Vt ergo harum Figurarum conſequentiæ manifeſtiores fiant, Reductione
Reductio. opus habent, tam Oſtenſiua quàm per Impoſsibile, vt & ἐκθέσει, non quòd hæ Figuræ ſuam Conſequentiæ Neceſsitatem non habeant, ſed quòd non habeant eam tam manifeſtam & euidentem. Reductiones eæ abſq; Conuerſionibus fieri nequeunt, vnde & Conuerſionum ratio erat docenda.

L II.

Nec obſtat, quòd hîc nobis obſtrepunt,
Schol. l. 7. ca. 3. Definitiones non demonſtrari, ſed tantùm τῷ νῷ intelligi, ideoque illam Syllogiſticarum definitionum doctrinam non eſſe demonſtrabilem, nec ideò vlla Principia, vllas ἀντιστροφὰς, ἀπαγωγὰς, ἐκθέσεις & ἀναγωγὰς requirere: Cùm non videant, Syllogiſmi definitionem, quatenus Noëma eſt, definiri tantùm, non demonſtrari, Artificium verò diſcurrendi, cur conſequentia ſit bona, & an procedat ex lucis naturæ

nor-

norma, quod Syllogiſmi continent, illud ſcilicet demonſtrari ei, qui rem per cauſſas velit perſequi.

LIII.

At quòd principia omnia Metaphyſicum demonſtrare innuunt, & ob id hæc duo, de Omni & de Nullo, ex Logica, exterminanda, non per omnia conuenit: verum enim quidem eſt, Metaphyſicum Principia demonſtrare, detur item, eum quoque hæc duo principia demonſtrare, lib. γ. cap. 3. ſed quòd ideò ex Logicis exterminanda omninò ſint, non ſequitur, cùm Logica ea, vt demonſtrata alibi, ſumat, & ex his ſua deducat.

LIV.

Ad formalem porrò Syllogiſmi γένεσιν, vt propoſitum noſtrum probemus, conducit Medijs & Propoſitionibus non tantùm abundare, ſed & viam & rationem expeditam ſcire promptiſsimè, ex delectu Conſequentium, Antecedentium & Repugnantium, Media apta & idonea inuenire, vt quacunq; quæſtione probanda data, & Medijs ad euincendam quæſtionem datis, Forma ſtatim, in qua Syllogiſmus componi, & Concluſio colligi queat, manifeſta ſit. Abundantia propoſit.

Hanc doctrinam Scholaſtici Pontem Aſinorum vocârunt. Eſtque hæc doctrina, licet quodammodo difficilis, pulcra tamen, vtilis & neceſſaria: nec ridicula, cùm infallibilibus ſuis conſtet præceptis: nec ad Inuentionem Topicam reijcienda, cùm non de Materiæ Inuentione hîc agatur, ſed de Materiæ inuentæ expedita inuentione formali Syllogiſmorum.

Schol. lib. 7. ca. 14.

LV.

Analyſis Sylllogiſmorum.

Sicut autem Inuentionem hanc Syllogiſmorum, ita & Analyſin eorundem in quacunque oblata Argumentoſa Oratione ſtatim reſoluenda tradidit Ariſtoteles, & inſignem in hoc tractatu Manuductionem aperuit, quomodo conſtituta quædam Oratio Argumentoſa reſolui, in ſua membra diuidi, & iudicari: quomodo principale propoſitum primò cognoſci: quomodo eius probationes examinari: quomodo Termini & Propoſitiones partiales ab vniuerſalibus, Finitæ ab infinitis, Mediatæ ab immediatis, determinatæ ab indeterminatis diſtingui, vera à falſis, aliena à proprijs ſeparari debeant; vt vel hic ſolus Tractatus Ariſtoteleam Logicã, quaſi quæ nullũ vſum in explicandis & reſoluendis Autoribus præbeat, vindicare poſsit.

A Syl-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

LVI.

A Syllogiſmo autem perfectiſsima Argumentandi forma, aliæ quædam formæ deficiunt, vt ſunt ἐπαγωγὴ, παράδειγμα, ἀπαγωγή, Inſtantia, Enthymema, Sorites, quibus ſecundum quoſdam addi poſſunt Syllogiſmi Diſiunctiui & Hypothetici, itemque Dilemma. quæ ſic tamen à Syllogiſmo deficiunt, vt ſimul cum ipſo cognatæ ſint, totúmque Eſſe Neceſsitatis ſuæ ratiocinatiuæ à Syllogiſmo trahant. Imperfectæ Argumentationes.

LVII.

Cur autem deportatæ & excluſæ ſint hæ (duabus exceptis) Argumentationum formæ à Logica, hanc afferunt rationem, quòd non opus ſit tot formis, cùm ſolo Syllogiſmo poſsit abſolui, & quidem meliùs tota Argumentatio: Qua ratione non Ariſtoteli, ſed omnibus omnium temporum Sapientibus bellum indicitur, cur illi non ſemper Syllogiſmis, ſed aliquando Enthymemate, aliquando Inductione, & reliquis formis vſi ſint, aut adhuc vtantur. Fit autem hoc inde, quòd cuiuis Syllogiſmo non tam expeditè pateat quæuis Concluſio, & quòd ſæpè breuitati, neceſsitati, concinni-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

tati ſtudeatur, & reliquis commoditatibus, quas ſinguli ſpecies ſecum afferunt.

LVIII.

Quòd verò de Inductione & Exemplo afferunt, Argumenta ea tantùm eſſe, non Argumentationis formas, falſum: nam hoc loco, quas materias ex quibus locis recipiant, nullo modo attenditur, ſed forma eorũ, prout ſe ad Syllogiſmũ habeant, & quomodo earum vis concluſiua ex Syllogiſmo dependeat, docetur, quod euidens ex earũ definitionibus eſſe poteſt in Ariſtotele: definit enim Inductionem, quando minore extremo probatur maius extremũ de medio. Exemplum, cùm maius minori, & medio ineſſe probatur, per quoddã ſimile tertio & notius minori, &c. vnde luce meridiana clarius eſt, quid Ariſtoteles in his ſpeciebus cõſiderauerit, et quæ ſit cuiq; noua à ſeſe et ab alijs diuerſa forma, quidq; in ijs peculiare ſit, quid commune. Simile iudicium eſto de reliquis.

Lib. 8. Schol. cap. 11. & 12.

LIX.

Hac communi Logices parte ſic hactenus explicata, ad propriam deſcendit Ariſtoteles, in qua cum forma Materiam ipſam quoque attendit, cuius euidentiſsima diuerſitas ea eſt, quòd alia Apodictica ſit, alia Dialectica; vnde & ea omnia, quæ hinc

Demonſtratio.

hinc conſtituuntur, euidenter erunt diuerſa: nam quæ demonſtratiuè ſunt neceſſaria, Scientias propriè ſic dictas parient, quæ Dialectica Artes. Nequaquam autem ſi quis rectè ſanus ſit, hæc duo inter ſe confundi poſſe, facilè intelliget, niſi vera cum veriſimilibus, Neceſſaria cum Contingentibus, Opinionem cum Scientiâ confundere velit, modò Naturam τῆς ἀποδείξεως ſibi perſpectam habeat, & quæ propoſitiones Demonſtrationem capere, quæ non poſsint, didicerit.

LX.

Propoſitionum harum Symbola & Notas tres ponit Ariſtoteles, 1. κατὰ παντὸς, vt quòd ſit non in aliquo quidem, in aliquo verò non, nec aliquando quidem, aliquando verò non. 2. καθ' αὑτὸ, cuius 4. ſunt modi: 1. quòd propriè ineſt definitioni ſubiecti. 2. Quòd ſi definiatur ſubiecto, de ſubiecto dicatur vt propria. 3. Quòd ipſum ſit ſubiectum & de ſubiecto nullo dicatur. 4. Quòd neceſſariò ineſt ſubiecto, propter cauſſam quam habet. 3. καθόλου πρῶτον, quæ omni & per ſe & quia ipſum inſunt, vnde oritur reciprocatio. Quarum ſi vel minima conditio deſit in propoſitione, alienam eam eſſe à Demonſtratione verâ, ſtatim deciditur. Propoſit: Demonſtratoriæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

LXI.

Lib. 9. Schol. Dial. fol. 300.

In quibus primò calumniosè faciunt, qui Demonſtrationem commentum horribile, item Beluam vocant, cùm nolentes volentes concedere cogantur, Propoſitiones illas, in quibus hæ conditiones obſeruatæ ſint, toto cælo diſtare ab ijs, in quibus hæ non habeantur: nec idem eſſe, Omnis coruus eſt niger, Et, Omnes Epiſcopi Romani ſunt Romæ: cùm in illo ſit coniuncta perpetuitas temporum: in hoc minimè. Et quis idem eſſe dixerit: Petrum, quia homo, ſentire, Et Petrum, quia animal, ſentire, cùm hoc καθ' ἀυτὸ inſit, illud propter aliud? Quíſve eiuſdem ἀκριβείας dixerit, Homo eſt Animal rationale, &, Homo eſt Animal, cùm illud reciprocetur, hoc minimè? vt refutatione egere non videatur, qui ἀποδεικτικὰ ab ἐνδόξοις nequeat diſtinguere. Qua de cauſſa multi illum virum, aliàs non indoctum, ſeriò hæc noluiſſe iudicant.

LXII.

Hinc & illorum error quoque manifeſtus eſt, qui καθόλȣ Prioriſticum cum Poſterioriſtico confundunt: multa enim vniuerſalia eſſe poſſunt, prout vniuerſalitatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

tem Ariſtoteles in Analyt. prior. accipit, quæ ſimul non ſint vel κατὰ παντὸς, multò minùs καθόλου πρῶτα.

LXIII.

Inde nec illi ferendi ſunt, qui quarumlibet diſciplinarum præcepta ex æquo κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὰ, & καθόλου πρῶτα eſſe dicunt, cùm in Scientijs, ex vera demonſtratione dependentibus, verè ea locum habeant, Artesque ſint rerum contingentium, & mutabiliũ, ab hominibus ſaltem inuentæ, perpetuitatis ſcientificæ expertes, nedũ vt omnes omnium diſciplinarum propoſitiones per ſe inſint, & ex æquo reciprocari poſsint, nec adhuc talis Ars data eſt. Vt ſunt Regulæ: In A fœminina ſunt &c. quæ prioriſticè nondum vniuerſalia ſunt, nedum vt haſce conditiones admittant.

LXIIII.

Qui verò ad hanc vniuerſalitatem Analogiarum tuendam Anomalias addendas iudicant, vt καθόλου vel κατὰ παντὸς compleatur, ij profectò nec quid καθόλου, nec quid κατὰ παντὸς ſit, intelligunt, vel intelligere nolunt: nam cùm nego τὸ καθόλου regulæ: Omnia nomina in A eſſe fœminina, tu verò ad euincendam illius vniuerſalitatem

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

litatem addis, Arma, Poëta, quæ excipiuntur, tunc tu ædepol non aſtruis ipſam Analogiam, ſed deſtruis magis: quò magis enim affers contraria exempla, Contingentiam eò magis eiuſdem aſtruis, neceſsitatem & vniuerſalitatem deſtruis, cùm Maſculina & Neutra ad Fœmininum addita in vnam Propoſitionem nunquam coaleſcere poſsint, vnamq́ue Propoſitionem de eadem re generalem concamerare minimè queant.

LXV.

Huc coincidit etiam eorum audacia, qui has tres conditiones, Leges ordinis Doctrinæ (quem Methodum dicunt) faciunt, & ex ijs materiã omnis Methodi ponderant, quarum illa Lex veritatis, neceſsitatem & generalitatem: iſta Lex Iuſtitiæ, Homogeniam Artiũ: hæc ſapientiæ Homœdian exigat, & tautologica reijciat, vt hiſce tribus Legibus omnia, quæ vſquam ab hominibus vnquam præcepta ſunt, in diſciplinis & artibus, regi poſsint & conformari: quorum omnium ne γρῦ quidem eſt in Ariſtotele, vbi has tres notas tractat, vt nec iuſtè, nec

Talæus comm. Dial. c. 2 lib. 2. pa. 226.

ſapienter, nec veraciter has Leges Ariſtoteli affictas eſſe, omnes Peripateticorum Scholæ quiritentur.

Vnde

LXVI.

Vnde colligi poteſt, ſuppoſititias eſſe has Leges, & nullo modo Ariſtotelicas dicendas, vt facilè videri queat, quid ſint ea, quæ toties Ariſtoteli obijciuntur, Ariſtotelem ex Ariſtotele refutari, quando Ariſtotelis ſcripta omnia ad has tres Leges reuocantur. Quòd autem etiam Peripateticorum quidam hodiè, ſua peculiari quadam ratione, has tres Apodicticas propoſitionum notas ad conformandum ordinem doctrinæ applicent, nunc non tangimus; dicemus ea de re ſuo tempore, vbi ex profeſſo de Methodo, Deo dante, acturi ſumus: vbi quoq; quid valoris habeat illa illorum Lex Legũ omnium maximè legitima, de artifitioſâ & Methodicâ Enunciatorũ iudicatorũ diſpoſitione ſeu forma Methodi, vt ſemper γενικώτατα primo, ὑπάλληλα medio, εἰδικώτατα poſtremo ſint loco, dicemus. Nunc ſufficiat admonuiſſe, Ariſtotelem de ijs hîc ne ſomniâſſe quidem, cùm in hoc loco ageret de κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ & καθόλου πρῶτον. Schol. cap. vlt.

LXVII.

Addendum verò hoc vnicum de vnitate Scientiarum, ſiue de rebus Homogeneis in vnâ Scientiâ pertractandis Caput 23. Vna Scientia.

poſter.

poſter. Analyticorum, ex quo rectè peti poteſt, quid ſit (vt cum illis loquar) Scientias ad Legem καθ' ἁυτὸ examinare, ſiue in quibus vera conſiſtat vnius Artis Homogenia, quídve rectè proprium, quid alienum in aliqua Scientia dicatur, quæ omnia nos vni Axiomati incluſimus, nimirum: Vna Scientia eſt, quæ vnum habet Subiectum vno modo conſideratum, quæque eiuſdem Subiecti affectiones, eiuſdem ſpecies, & quidem ſpecies ſpecierum, & contraria conſiderat. Quicquid ergo ſcripſit Ariſtoteles, ad hanc trutinam referatur, in quam quicquid nón impegerit, id Homogeneum, & non Heterogeneum eſſe illi diſciplinæ, intrepidè concludatur.

LXVIII.

Topica. Ab his propoſitionibus Apodicticis longo interuallo abſunt probabiles, quæ videntur omnibus aut pluribus aut ſapientibus, aut ſapientibus omnibus vel pleriſque vel præcipuis conſentaneæ, de quibus licet dubitare, quibus & contradicere licet: quarum conſiderationem Ariſtoteles duabus partibus includit: Prima, de Theoria, ſecunda, de praxi. In Theoria quidem Locorum numerum ex numero quæſtionum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

num probabilium haurit, quæ quatuor tantùm ſunt: Accidentis, Proprij, Generis & Definitionis, quibus reliqui Loci ſpecialiores ab Ariſtotele includuntur, & quò reliqui facilè referri poſſunt. Loci quatuor.

LXIX.

Inſigne autem eſt in hac parte Ariſtoleæ Logicæ, quòd ſic hos locos pertractet, vt ſimul præcepta ſeu Axiomata quædam generalia præſcribat, ex quibus varij modi diſci poſsint, quomodo ex illis attributis Medium petendum ſit, & propoſitionum probabilium εὐπορία locuples comparari queat, quarũ vſus in colloquio Diſputatorio oportunè tam ad aſtruendum quàm ad deſtruendum eſſe poſsit, vnde quidam ἀνασκευαστικοὶ, quidam κατασκευαστικοὶ numerantur.

LXX.

Variè autem à multis doctrina Topica pertractata eſt, quorum ij, qui operam in explicando & exegeticè euoluendo Ariſtotelem collocârunt, laudem communem habent cum omnibus Interpretibus Ariſtotelicis: quod ſi verò laudem Ariſtoteli hac in re debitam omninò præripere velint, ſibiq; ipſis πλείωσιν doctrinæ huius

aſſcribere, ij non tantùm laude ea, quam venantur, excidunt, ſed & eam, quam habent, amittunt, cùm nemo aptiùs & conuenientiùs Topicam ad Artificium τοῦ διαλέγεσθαι idoneam conſcripſerit, quàm Ariſtoteles.

LXXI.

In praxi per totum Librum octauū vltimum Top. occupatur, in quo inſtruit duas perſonas, quarum eſt Diſputatio, Opponentem ſcilicet & Reſpondentem: multū enim refert, plurima argumenta non tantùm habere, ſed rectè etiam ea in proponendo & aſſumendo adhibere poſſe, vbi multum intereſt, Diſputantium mores noſſe, cùm tela præuiſa minùs noceant: quos dū depingit Ariſtoteles, non proteruiam, pertinaciam & petulantiam docet, ſed potiùs notando illa vitia, quomodo ea caueri debeant & poſsint, monet, ne veritas falſa victoria opprimatur: At qui Rhetoricæ partem Elocutionem hîc doceri autumat, & omne τὸ εἰπεῖν πρὸς ἕτερον, ex Logica ad Rhetoricam tranſmittendum iudicat, is omni munere diſputandi, quod ἐν τῷ διαλέγεσθαι, ſeu, ἐν τῷ εἰπεῖν πρὸς ἕτερον, conſiſtit, Logicum priuabit, Abſurdè.

Lib. 18. Scholar.

Lib. 17. Scholar.

Por-

LXXII.

Porrò cùm in ἐνδόξοις non omnia ſint ἔνδοξα, ſed plurima etiam φαινόμενα ἔνδοξα, de his peculiariter agere & admonere debuit Ariſtoteles, niſi ſubiectum hoc Logicum inexplicatum (quod mutili eſſet Logici) relictum vellet: quàm enim verum eſt, res quaſdam in natura reuera tales eſſe, quaſdã autẽ tantùm tales apparere: tàm neceſſarium & eſt Logico, res eas quæ reuera tales non ſunt, ſed videntur ſaltem eſſe, perſequi, cùm Contrariorum eadem ſit ſcientia. Sophiſtic.

LXXIII.

Abſcinditur autem ab Aduerſarijs hoc membrum doctrinæ, quòd ſophiſtica vitiorum doctrina non ſit Homogenea doctrinæ virtutum, ſed explicatis virtutibus vitia inde contraria percipiantur, vnde omnia ea non tantùm ex Logica, ſed ex omnibus ſcriptis Ariſtotelis exterminanda cenſent, quæ vel falſas opiniones refellunt, vel modum eas refellendi, (vt hîc fit) præſcribunt. Schol. lib. 19. cap. 1.

LXXIIII.

Qua ſua Ratione, ſi vniuerſaliter vera eſſe debeat (vt eſſe debet, ſi quid ſub ea ſubſumendum ſit) non ſoli Ariſtoteli, ſed

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

omnibus omnium ordinum ſapientibus frenum inijciunt: & Theologos quidem & Ethicos iubent virtutes ſaltem aſtruere, vitia non taxare, veram doctrinam tantùm defendere, falſam non refutare: Politicos & Legislatores iubent tantùm quid faciendum ſit, edicere, non quid omittendum aut cauendum: Medicos, ſi de Pharmaceuſticis herbis modò docuerint, de venenis nihil habere quod doceant; ſi de ſanitate conſtet, de morbis morborumque figuris nihil eſſe docendum: Philoſophos, ſi veram ſuam ſententiam aſtruunt, contra Democritum, Leucippum & Pythagoram, & reliquos omnium temporum Sophiſtas, agendum non eſſe: nec omninò opus eſſe, quandoquidem explicatis virtutibus vitia inde contraria percipiantur; explicatis veris, falſa ſtatim concidant.

LXXV.

Qua in re tamen Aduerſarij noſtri aliter ſentiunt, aliter faciunt; nam ſi hoc omninò verum eſt, cur non tantùm ſuam doctrinam aſtruunt, ſed & contrariam Ariſtotelis refutant? Aſtruerent illi ſuam ſaltem, alia per ſe concideret procul dubio.

LXXVI.

Nec

Nec obſtat, quòd hîc inſtent & dicant, in Artibus non licere, alibi licere, & duo eſſe librorum ſui Principis genera, alia Didaſcalica, alia Elenchtica ſeu Eriſtica: eo ipſo enim ſententiam hanc noſtram confirmant, nimirum genus doctrinæ Didaſcalicon abſque Elenchtico non conſtare: ſiue, in docendo non poſſe obtineri finem veri, qui ſpectatur, niſi is refutando muniatur, ſimulq; falſa quæ nocent, remoueantur. Siue ergò Autor ille peculiariter in ſcholis ſuis agat Eriſticum, & in Didacticis Didacticum ſeiunctim, ſiue Ariſtoteles rem per cauſſas docens; coniunctim & doceat vera, & refutet falſa, ſuſque deque eſt, vtrinq; enim firmum manet, non fieri, vt ſolis virtutibus explicatis, & veris aſtructis, vitia ſimul percipiantur, & falſa deſtruantur.

LXXVII.

Nec adhuc firma eſt data ratio, cur in artibus tradendis non liceat falſum refutare, alibi liceat: Nam ſi in vniuerſum verum eſt: Veris aſtructis falſa corruere, nec in artibus, nec alibi licebit refutare contraria. At ſi in vniuerſum verũ non eſt, veris aſtructis falſa corruere, iam idem in Artibus atq; alibi valebit. Data enim vniuerſali, quęuis eius pars ſubſumi poteſt.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

LXXVIII.

Sciendum ergò, κατά τι verum tantùm eſſe, vt aſtructio veri, falſi ſit deſtructio ſeu cognitio, nimirum quòd Contrarium ex oppoſito tantùm eluceſcat συγκεχυμένως, confuſè, ἐν τῷ πλάτει ſuperficialiter, & δυνάμει ſeu potentia, ſeu, vt Ariſtoteles lib. 6. Top. cap. 10. inquit, contrariorum definitiones Contrarij notitiam inducere, τρόπον τινὰ quodammodò; Non verò ὅλως καὶ ἀκριβῶς, per omnia, exactè & actu ipſo, niſi idipſum peculiariter euoluatur & explicetur, vt in exemplo patebit.

LXXIX.

Sciam ego quid ſit, 1. Recta linea, 2. quid ſit Rectus angulus, 3. omnia εὐθύγραμματα, eorumq́; affectiones; tunc non ignorauero per ἀφαίρεσιν τοῦ ἐναντίου, quòd quædam linea ſit non Recta, quidam anguli ſint non recti, quòd quædam Figuræ ſint non εὐθύγραμματα: conſtabitq́; mihi quid non ſint, non verò quid ſint, nec dum verò conſtabit, quòd non recti ſeu obliqui Anguli, alij ſint acuti, alij obtuſi: Nec dum conſtabit mihi de Affectionibus earum Figurarum, quæ non ſunt Rectilineæ, vt Figurarum ex Rectis & Curuis mixtarum, circulorum, &c. Vnde

LXXX.

Vnde perſpicuum eſt, rectè Ariſtotelem non tantùm feciſſe, vt Contrariorum tractationem & refutationem in ſuis ſcriptis inſtituerit, ſed & τρόπον, Modum Argumentationum & refutationum Sophiſticarum in Logicâ ſuâ tradiderit: non vt ijs contra Veritatem, ſed pro Veritate defendenda vteremur: quo nomine, vt & pro toto hoc Opere Organi & ſcriptis reliquis, ARISTOTELEM tota antiqua Vetuſtas apud Arabes, Græcos & Latinos ſemper vt Patrem & Principem Philoſophorũ coluit, eiuſq; ſcripta diligenter euoluit & confirmauit, quos omnes vnà cum Ariſtotele tantorum errorum, repugnantiarum, falſitatum, nugarum, mendaciorum, ſtultitiarum, inſcitiarum, ineptiarum, ſomniorum, fraudum, abſurditatum, deluſionum, conturbationum, quiſquiliarum, furorum, vanitatum, temeritatum, fabularum anilium, inconſtantiarum, commentorum, & horribilium Sophiſmatum inſimulare, non arrogantiæ tantùm, ſed extremæ eſt dementiæ, vt grauiſsimè alicubi I. Scheckius pronunciauit.

τῷ θεῷ δόξα.

Lectori S.

AD probandam & declarandam vltimam Theſin, habe, Lector, ſentinam quandam irriſionum & conuitiorum Rami in Ariſtotelem, eiúſque interpretes, & perpende tecum, an hoc ſit puri, integri, & boni Philoſophi, tàm maledico in mortuos & bene cupientes (ne dicam benemeritos) Viros rei literariæ bacchatim ſæuire & furere, & ſe vnicum omnibus præferre? Sit enim ſanè, errâſſe eos, non tamen conuitijs vllis, ſed nudis argumentis, abſque omnibus verborum lenocinijs, conuinci eos oportuit. Sed ad id, & ille & omnes eius ſectatores, nati videntur, vt Peripateticos adoriri nequeant, quin terricrepas grandiloquentiæ inanis ampullas conuitijs mixtas ſecum afferant. Philoſophorum philoſophari eſt, Anuum, garrire & conuitiari. At videris dicere: Idem Ariſtoteles in ſuos Maiores fecit? Nego. Sed ſit ſanè: Alteriúſne vitium & error tibi patrocinium? At inquis, contrà Sarboniſtas & abuſum

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

uſum hæc dicta? Laudarem hoc factum, ſed factum nego: expreſſè enim Themiſtium, Ammonium, Ariſtotelem, Græcos nominat, non Gallos: & illos tollendos cupit. At verò propter abuſum? Malè: ſi enim propter abuſum res ipſæ tollendæ, quid quæſo erit in Mundo reliquum? Tu lege, & diſce verſipellem illi loquacitatem cum conuitijs detrahere, & nudus erit.

SEQVVNTVR conuitia.

VT Ramus liberiùs Ariſtotelem laceret, Ariſtotelem non Ariſtotelem nominat, illumq; Platonicũ non eſſe huius aut illius loci autorem, contra omnes Hiſtorias & conſenſum veterum prætendit, fingitque ſibi quendam Eubulidem tantæ ſtultitiæ Præceptorem: qua correctione grauiùs Ariſtotelem mordet.

Ariſtoteles ambitioſus. Iterum, Iterum, iterum ambitioſus.

Valde ambitioſus.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Interpretes Ariſtotelis Fatui: Ignari Artis, quam interpretantur. Nugatores; commentitij interpretes.

Ariſtoteles manifeſta negans.

Seipſum confutat. Ariſtoteles ambitioſus.

Imprudens & aliud agens.

Infinita à naturali humanæ rationis vſu abhorrentia collegit.

Ariſtoteles animo dormitans. Idem inutiliter repetit.

Sophiſticè docet. Cauillatur.

Ariſtotelici vagi & errabundi quicquid illis occurrit tanquam Logicum arripiunt, ac excogitant Artes terminorum ridiculas.

Organi Ariſtotelici ταυτολογίαι infinitæ, & ſubtilitates inanes irridendæ.

Organi Logici moleſtus Magiſter.

Themiſtius, Ammonius, Philoponus ſtultè ac peruersè Ariſtotelici, ac Ariſtotelem Alchymiſtam facientes.

Sophiſtes.

Obſcuritatis Ariſtotelicæ cauſſæ fœdæ.

Multa falſa, plura aliena, plurima infinitis nugis repetita.

Interpretes Ariſtotelici falſa pro veris, aliena pro cognatis, nugas infinitas pro legitimis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

gitimis ſtatuunt, pro ſuâ in Ariſtotelem bonitate & religione.

Aliud ſpectantes quàm quid dicatur.

Ariſtotelem defendere magis conantes quàm quid verum, quid falſum; vtile, inutile ſpectantes.

Serui, non iudices Logici.

In Organo eadem toties præcipiuntur, toties iterantur, toties inuoluuntur.

In Organo Ariſtotelis omnia confuſa, infinitæ Tautologiæ, multa amethoda præpoſtera.

Stylus Ariſtotelis aridus & ſpinoſus, & collectore impedito magis quàm diſerti Doctoris ſermone proprio dignus.

IN PORPHYRIVM.

Porphyrius aliud agens & cogitans in inuentionem Logicam incidit. In qua parte Logicæ verſaretur, ignorauit, & rerũ, quas tractauit, vſum ſummum neſciuit.

Pro libidine quicquid voluit, docuit.

Fixit crucem, vbi ſectatores eius cruciarentur, vt hîc cruciatus eſt Ammonius & Boëtius.

In Porphyrio nihil Ariſtoteleum.

Imperitè factum ab ijs, qui Porphyrium in Organum incluſerunt.

Explica-

Explicare intelligentiam ſuam non potuit.

Partitio Categorematum Porphyriana à Chryſippo aut alio nugatore collecta.

Admirabilis nugator.

Mirificus. De induſtriâ nugatur.

Sine delectu, ſine iudicio.

Cùm Dialecticæ Doctor videri vult in verâ Logicâ, ſe vehementer rudem & indoctum prodit.

In primo capite iudicium de nugis.

Reipſa negat & inficiatur, quod verbo docet.

Porphyrij ineptiæ. Fictor.

Scholaſticum commentum, ideoq; reijciendum.

Categorematici ſermonis ineptiæ.

Porphyrij imperitiam arguit Ramus.

Ariſtotelis Philoſophia eſt omnium veterum Philoſophorum collecta Philoſophia, in quâ variæ ſunt & ſæpè diſcrepantes & contrariæ opiniones.

Nugæ Scholaſticæ in Ariſtotele multæ.

Caput de differentia nugatoria & præpoſtera doctrina valde ineptum.

Nugatoria partitio differentiæ.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Porphyrij doctrina eſt Chryſippi, aut neſcio cuius nugatoris.

Stultè, imperitè, Sophiſticè docet & definit Porphyrius, aliena commenta collegit, quorum vſum nunquam cogitauit.

Categoricæ nugæ.

Nugatorium, amethodum, præpoſterum, nihilque verum docens. A Porphyrio vani nugatoris commenta collecta ſunt.

Imperitus Porphyrius.

Sine iudicio, ſine delectu propoſuit omnia vndique accumulare. Doctrina vitioſa & confuſa.

Chryſippi aut etiam deterioris Magiſtri nugas à Porphyrio collectas per abſurdum pro Ariſtotelica doctrina connumerari.

Porphyrij pars media operis in admirando nugarum genere conſumpta, & ideò doctrina eſt caput hydræ ſophiſticæ. Nugas nugatur Porphyrius.

Tot tantæque nugæ in Porphyrio.

O beate Porphyri!

Totum collationum genus ineptum & Sophiſticum.

Tricæ & apinæ.

Porphyrius ignorauit Logicam.

In

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Inſtitutionis Porphyrianæ paupertas & inopia ſumma, & nullus illius vſus.

In Categoriarum commentationem, minimè agens aut cogitans, imprudens atque aliud agens incidit.

Ineptiſsima & ſtultiſsima quæſtio.

Ariſtoteles loquitur vt Eubulideus aliquis inter Sophiſtas veteres.

Nugatorias ac inutiles regulas tradit.

Regulæ Ariſtotelis nugatoriæ è logicis artibus tollendæ.

Impia doctrina ex quocunque Philoſopho ab Ariſtotele collecta.

Categorica doctrina impia. Ariſtoteles id quod voluit, explicare non potuit. Ineptiæ. Categoriæ Ariſtotelis nullum Deum aut Dæmonem relinquunt.

Relationis definitio tam verboſa, tam prolixa Oratione non explicatur, ſed conturbatur, & falſa traditur.

Nugæ. Ariſtoteles nos abſurdè deluſit.

Nugæ. Nugæ negantes, nil docentes.

Conturbat. Caput poſtremum ineptiſſimum.

Ariſtotelicæ ſignificationum quiſquiliæ.

Vitio-

Vitioſa doctrina, Inepta. Doctoris huius admirabilia conſilia.

Logicus mortuus. Categorica pila. Nugæ.

Logica Ariſtotelis chaos quoddam.

Ariſtotelicæ tenebræ. Ridiculum & ineptum.

Nullus vſus organi Ariſtotelici.

Ineptiæ iſtæ totam Logicam confude-runt.

In Logica ab Ariſtotele quidlibet con-turbatum eſt.

Infinita confuſio in Organi Logici li-bris.

Doctrinam turbare huic Philoſopho quotidianum.

Ridiculum. Ineptè docet.

Doctor, qui quam alijs pollicetur inter-pretationem, ipſe ſibi præſtare non poteſt.

Licentia docendi abutitur.

Auditorem fallit, quem aliud quàm ver-bis exprimit, vult intelligere.

Captiosè & abſurdè argumentatur.

Symbolici Magiſtri & Carneadis ar-gumentum vnum eſt, videlicet impium vtrumque.

Carneadis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Carneadis & Magiſtri huius impietas eadem.

Quæſtiones, quas otioſi pueri in Schola ſine Doctore & Magiſtro temerè videri poſsint agitâſſe.

Egregia & ſubtilis ſubductio, ſ.

Perridiculum ſophiſma. Sophiſma.

Magiſter hic ſeipſum refellit. Fingit.

Hic Symbolicus Autor, vſu ſuo, exemplo ſuo, teſtimonio ſuo, commenti ſui doctrinam refellit & conuincit.

Bella ratio. Commentitia differentia.

Commentum ſcholaſticum.

Innumerabiles regulæ toto Organo confuſæ.

Mirabilis Symbolici Doctoris interpretatio.

Captioſè diſputat, & falsò concludit.

Abſurda dicit, & deridenda, & explodenda.

Commentum. Falſam doctrinam.

Bella doctrina nos irriſit.

Diſertus interpretationis interpres, ita loquitur, vt quid interpretari voluerit, neſcias.

Non exempla, ſed trunci.

Pro vera doctrina falſam tradidit.

Nugatur

Nugatur & imperitis illudit.

Sophiſmata tradit.

Omnes conſequentiarum regulæ præter Syllogiſmum, in Logico organo inertes ſunt, & vanæ, & quicunque eas tradidit, docuit nos Syllogiſmi vſum neſcire.

Quæſtio altera captioſa vel nugatoria eſt, altera Sophiſmatis laude par & proxima.

Symbolici autoris temeraria aſſertio.

Categorici Doctoris vero teſtimonio iudicioque refellitur.

Ariſtoteles Heliogabalo ſimilis, & diſcipuli eius paraſitis Heliogabali, quibus ille fictam cœnā apponere ſolebat pro vera: ſic Ariſtoteles ſuis diſcipulis præcepta ficta, quæ nullum vſum habent, pro veris tradit.

Doctrina obſcuriſsima & confuſiſsima.

Nubibus varijs difficilis & obſcura. Tenebræ denſiſsimæ.

Symbolis & verbis ſuis rem conturbat.

Nullum documentum principijs ſuis conſentaneum.

Incredibilis obſcuritatis caligo, nubes in Aruernorum montibus nulla vnquam tam denſa, tamq; tetra fuit.

Principia de omni, de nullo nugatoria,

& hinc Syllogiſmi obſcurantur, non demonſtrantur.

Magnifica principia, ſ. Logicæ tenebræ.

Fallacia, inania, obſcuritatem parientia.

Egregia demonſtratio, ſ.

Demonſtrationes vitijs ornatæ.

Muta argumenta.

Ariſtoteles affirmationes pro negationibus, Falſa pro veris, damnata pro demonſtratis ſumit.

Multæ nubes ac tetræ tenebræ.

Captioſum & tenebricoſum Sophiſma.

Scholaſtica commenta.

Sophiſma ſtolidum. Sophiſtica. Summè Sophiſtica.

Fatuas concluſiones inducens.

Chimæricæ ineptiæ.

Sophiſmata abſurdiſsima. Commenta.

Nihil ad humanæ rationis vſum accommodatum.

Nihil quod ad Logicam referri poſsit.

Ariſtoteles interpretes metaphorâ eluſit.

Sermonis genere valdè rudi.

Am-

Ambiguitas Ariſtotelea mille tenebras peperit.

Ariſtoteles quæſtione ſua ſe ridiculum facit.

Solem ſtella illuminat.

Vult id, quod exemplo tibi ſaltem ridiculo confingere non poſsis.

Bella Sophiſmatum doctrina.

Ariſtoteles Rhetoricæ ignarus.

Cacotechnia valde inepta.

Nihil ab ingenuo & liberali hominis ingenio alienius.

Ariſtoteles cum ratione inſanit.

Vitioſorum modorum vanitas.

Exemplis Cherileis illuſtrata.

Ariſtoteles Ariſtotelis Logicam neſcit.

Ariſtoteles in rem prorſus ridiculam conuertitur.

Corollarium admirabile.

Confuſè repetit. Ineptiæ.

Volubili rota figulus huius operis complexionem conuertit. Commenta.

Commentitia & captioſa Sophiſmata è tenebricoſis Sophiſmatis educta.

Somniorum nugæ. Deliramenta.

Infinitæ confuſionis Magiſter.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Vana & inanis affectatio. Affectatio omnium vaniſsima & inaniſsima.

Ariſtoteles planè delirat. Planè Sophiſtica.

Stultè & fallaciter Ariſtoteles inuenit.

Suppoſitiones, amplificationes ſubtiliter ab ineptis hominibus inuentæ.

Explodenda ſunt tot vanitatum commenta, ne ſub exiſtimatione vanæ autoritatis tanta vitia diutiùs lateant.

Ineptiſsimæ nugæ.

Ariſtoteles multa de ſuo fingit, multa comminiſcitur, multa ſomniando mentitur.

Doctrina ſine vlla ratione, ſine conſilio, ſine vſu, ſine vllo vero argumento, tenebræ ad perniciem Iuuentutis.

Nugæ iſtæ ab Antipatro & Chryſippo deriſæ, & Galeno pro vanitate inutilis rei non mediocri habitæ.

Confuſio infinita. Mentitur.

Egregia diſciplina ludimur.

Sophiſticæ eluſiones.

Ariſtoteles pollicetur talenta decem, & tandem Sophiſtica ferrumina porrigit, & ait, ſe auri nomine ferrumen intellexiſſe.

Inaniter repetit.

Nugæ

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Nugæ. Sententias orationis ſomniat.

Omnia commentitia.

Commentitijs ſignificationibus vtitur.

Somniatis ſignificationibus. Commentitiæ ſignificationes.

Somnia ſua tanquam naturæ decreta nobis imperat.

Vſus & experientiæ oblitus eſt.

Commentum docet. O Doctor. Sibi non conſtat.

Diſtinctiones captioſæ, & Chamæleonti ſimiles.

Fraudes & malitiæ.

Scholaſtici interpretes & rerum vſus imperiti multos colores poſſunt imitari, vt Chamæleon.

Sophiſmata. Nugæ. Iterum nugæ.

Nugatoriè diſceptat. Falsò docet.

Ridicula Differentia. Sophiſmate vtitur.

Vanitas & imperitia Scholaſticorum interpretum ſic valde ridenda.

Subtiliores interpretes irridendi.

Nugatoriè repetit. Ineptiæ.

Periſſologia inanis & in Organi Logici libris perpetua.

Tot obſcuritates & tenebræ ad obſcurandum ſunt repertæ. quod furoris ſimile videtur.

Ariſtotelis interpretes ſimplices & imperiti, qui Ariſtotelis volumina tanquam Apollinis oracula habent, nullum iudicium adhibentes.

Duo millia tenebrarum.

Interpretes volumina Ariſtotelis tanquam Apollinis oracula ſuſcipiunt. Bella partitio ſ.

Inanitas magna.

Categoriæ ſuæ caput & pedes amputat, ventrem ſolum relinquit.

Inanes latebræ.

O Analytice Magiſter.

Capitis nobilis Sophiſtica & fallax ingreſsio.

Obſcurus & tenebricoſus Doctor.

Ratio præcepti fatua.

Difficilis Doctor, meras nugas tradit.

Tanta confuſio & conturbatio.

Valde rudis eſt Doctor noſter.

Valde rudis, nec in vera Logica quicquam ſentit.

Tenebræ. Vana ingenij oſtentatio.

Pontis ſublicij quales ſublicæ.

Pons

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Pons aſinorum fabulæ Hiſtrionicæ ſimilis.

Interpretes, qui iſta dicunt, ſibi primùm, deniq; bonis adoleſcentibus tam miſeram & tam pernitioſam calamitatem parant. Interpretum vanitas.

Tenebræ cumulatæ, à nullo vſu, humanitate & prudentia profectæ.

Valde ridiculum, non ſolùm falſum huius Doctoris Argumentum.

O vanum Doctorem, & ſuæ doctrinæ imperitum & immemorem.

Totum falſum. Sophiſma committit.

Interpretum vanitas.

Organum Logicum ex variâ variorum Authorum dogmatis, ſcilicet ab homine Artis, quam componebat imperito, collectum & compoſitum eſt.

Doctor hic præcepti pulcherrimi, quod collegit & in Organum compoſuit, ignarus & imperitus eſt.

Ariſtoteles delirat valde, & ineptè agit. Sophiſma.

Vanitatis genus.

Porphyrianæ & Scholaſticæ categoriæ & interpretationis ſeruitus.

Exempla ab Organi compoſitore non ſunt intellecta.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Librorum trium ſuperiorum vanitas.
Documentum Doctoris eſt, Doctrinam quam docet,prorſus ignorantis.

Exempla ridicula & inepta.

Vſitatum huic Magiſtro, exempla ſua ignorare.

Ariſtoteles docet, ſe Doctorem imperitum & ignarum doctrinæ ſuæ eſſe.

Stultitia Ariſtotelis ſuperiore maior.

Quàm neſcit compoſitor Analytici operis,quàm non intelligit,quod colligit & componit.

Fatua periſſologia repetitur & augetur.

Matæotechnia ſtultiſsima.

Sophiſma diſceptatur.

Fraudes diſperſæ ſunt.

Non multa, eaque vanis & fatuis exemplis offuſa propoſuit. Obſcuritatis tàm multæ & ſtupidæ cauſſæ.

Liber hic res vaniſsima. Vanitas.

Vana, à Logica aliena, imò ab Artis ignoratione profecta.

Sophiſtes hic temerè hæc collegit.

Ridicula præcepta.

Aliud longè ſtultius. Præceptio inutilis & nugatoria.

Tol-

Tollatur hæc vanitas. Deliratio.

Hic Sophiſtes noſter, ſi aliquid in Dialecticis comminiſceretur, ſe Mathematicum egregium fore credidit.

Ariſtoteles aniliter fabulatur.

Captiosè diſputauit. Sophiſtes noſter.

Interpretum infinita commenta.

Ludicrus & ioculatorius ludus, & figmentum inane, cuius nullus eſt vſus.

Ridiculæ fallaciæ, in quibus pro ſapientia, ſtultitia ſumma venditatur. Sophiſmata.

Nugæ, quas experientia non peperit, Hiſtoria non aluit.

Ridiculum diſcrimen. Nugæ.

Ariſtoteles ſimilis Medico, qui noua & inaudita herbarum genera ſomniando concepit, & neſcit vbi ſint, quem vſum habeant.

Nihil poteſt ſtultius eſſe.

Interpretes ignari experientiæ & vſus. Vanitas.

Præceptum & falſum & inutile.

Præceptum ineptè traditur.

Subtilitas ſuperiorum vanitati par.

Commentitia & Sophiſtica.

Scholaſticæ inertiæ ſomnia.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Hunc fructum ex Analytici Doctoris inconſtantia & inſcitia feremus. Ineptum diſcrimen.

Fatuè diſtinguitur. Ridiculum diſcrimen.

Commentum Scholaſticum. Fatuitas. Placitum otioſi & inertis ſomnij.

Redundantia in tanta vanitate & inanium rerum aggregatione admiranda. Sophiſma.

Tam nefariè & tam impiè fabulatur.

Publicæ calamitatis Sophiſmata.

Interpretes faciunt Ariſtotelem ſine vſu, ſine experientia, inertiæ & pigritiæ ſuæ velut autorem.

Econtrà Ramus (ſeipſum laudans)

Econtrà Ramus (ſeipſum laudans) in toto Organo defectũ in definitionibus, partitionibus, exemplis, quæ deerant, notauit, redundantiam in alienarum rerum nugis, in eiuſdẽ rei periſſologia, in demonſtrationum & geometricarum imitationum Matæotechnia, in falſarum & captioſarum argutiarum ineptia notauit.

Ramus doctrinam Dialectices clariſsimam docet, quam Organicus Magiſter confundit.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Ramus Ariſtotelis Logicam ab inertis & ignari interpretis & compoſitoris inſcitia vindicat.

Laudes aliæ, quibus ſeipſum Ramus exornat, videantur in fine libri 8. Schol. & alibi, vbi ſuas vigilias laborem, induſtriam mirificè decantat.

SEQVVNTVR CARDINALES QVÆDAM ET VVLgatiſsimæ obiectiones, Ramiſtarum, quibus tanquam ex vnâ fideliâ omnes ferè parietes librorum Ariſtotelis dealbant, vel potiùs denigrant:

In vſum diſcentium ſolutæ, & oppoſitis rationibus munitæ.

I.

Qui quæ in vna Arte tractata ſunt, iterum tractat in aliâ, & itá præcepta artium non diſtinguit, ille inducit Heterogeniam, rerumq́ confuſionem.

Atqui

Atqui Ariſtotelici cum ſuo principe hoc faciunt. (Obiecta exempla poſſunt huc ad probandum aſciſci ex ſolutione.)

Ergo Ariſtotelici inducunt Artium Heterogeniam & rerum confuſionem.

R. Paralogiſmus eſt ex dicto ſecundum quid: Non enim ſimpliciter verum eſt, Heterogenian Artium induci, tunc, cùm quæ in vna Arte tractata ſunt, etiam in alia iterum tractentur; Sed hoc addendum (vno & eodem modo eodemq; reſpectu) vt hoc pacto conſtet maior: Qui quæ in vna arte tractata ſunt, iterum vno codémque modo & reſpectu in alia tractat, ille, &c. Et ſic Maior eſt vera: nam res vna & eadem poteſt in diuerſis Scientijs & artibus, ſine periculo, diuerſimodè tractari, vt nondum earum Artium confuſio ſequatur; quandoquidem res quædam ſubiecta, non aliter ſe habeat, quàm Materia corporum, quæ non diſtinguit res ab inuicem, ſed diſtinguitur à formâ propriâ, quam poſſidet, vt forma faciat, quòd res ab inuicem, diſtincta habeant ſua τὰ εἶναι; adeò vt ſicut nihil periculi ſit, dicere Menſam & Nauim

uim ratione materiæ, nempe Ligni, conuenire, diſtingui autem ratione formæ ab Artifice impreſſæ, ne qua adhuc oriatur confuſio; ſic etiam dicere poſsim, nondum in Artibus confuſionem oriri, ſi hæc & illa res vna, iam hanc, iam illam Artem ſubintret, modò habeat aliquid, quo diſtinguatur ab alio, quod idipſum non habeat: ſicut lignum in Menſâ, habet peculiarem formam, qua diſtinguitur à reliquis rebus, habetque vt menſa ſit menſa, & nauis ſit nauis, & menſa non ſit nauis, neque nauis ſit menſa. Huic formæ Analogicè reſpondet in Artibus noſtris, Modus conſiderandi, ceu forma, rem hanc à re diſtinguens, & rem diſtinguendo ipſas quoque Artes earumque fines & terminos collocans, vt, ſicut non ideò, quia Scriniarius & Naupegus circa eandem materiam, Lignum, occupentur, ob id Scriniaria Ars & Naupegica vnum ſint aut confundantur. Sic quoque & Logica, tractans rem à Phyſica tractatam, non ſtatim dicatur Syngeniam violâſſe, & in Phyſicam Metamorphoſi Heterogeneâ tranſijſſe, ſiquidem eam rem tractârit Logico conſiderationis modo, non Phyſico. Eodem pacto reſponderi quoque poteſt, ſi

Tau-

Tautologiarum in vnâ & eâdem Arte inſimulent Peripateticos; nam & hîc attendendum, num repetitio eodem modo, eodémque reſpectu facta ſit. Et hæc eſt limitatio ad Maiorem addenda: quâ additâ Maior eſt vera: At tum Minor eſt falſa. Non enim vnquam probabunt, vnam eandemque rem, in ſua Arte genuinâ ſemel tractatâ, illo eodem modo, formâ, & reſpectu conſiderationis vnquam ab Ariſtotele in peregrinâ iterum Arte pertractatam, aut temerè repetitam eſſe; quod facilè patebit, ſi reſpiciatur, quomodo & quatenus illo loco tractetur, & quo reſpectu modoque tractetur alibi, ſicut in vno aut altero exemplo, ab Aduerſarijs clamosè nobis obiecto, euidenter oſtendemus; veluti:

Talæus lib. 2. c. 2. comm. Dial. R. p. 230.

Dices Rhetori, Rhetoricam in quinque partes diuidenti, Inuentionem, Diſpoſitionem, Elocutionem, Actionem, Memoriam; Non peccas: Inuentio enim & Diſpoſitio quam tractas, ſicut tu eam tractas, tua eſt, neque ſic eſt Logica, ſed Rhetorica Inuentio & Diſpoſitio, cùm non agas de omni inuentione, quibuslibet rebus aptâ, ſed de inuentione eâ quæ conferat Oratori, & παραφυὲς eſt quoddam inde enatum, atque ſpe-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

ſpeciatim ad tuum propoſitum & ſubiectum, quod eſt materia ϖειθανὴ, veniens in conſultationem & perſuaſionem, applicatum, & ad Finem, qui eſt perſuadere, officiumque, quod eſt benedicere, directum: & cùm agas ſimiliter de Diſpoſitione, non prout Artes digeruntur, ſed prout ea foro eſt apta & conueniens, nō peccas, vt nec de Memoriâ in Rhetoricis agere prorſus alienum eſt, cùm non vel Phyſico (ſicut fit in Libris de Animâ) vel Medico modo, de ea hîc agatur, ſed quantum Rhetori quatenus eſt Rhetor, opus eſt, de rerum & verborum inuentorum tenaci perceptione ſcire & diſcere.

Dices Logico nominum, verborum, Orationis, Quantitatis in Numero & Magnitudine, Subſtantiæ in corporibus, Plantis, Animalibus, Qualitatis in Habitu & Diſpoſitione, patibili qualitate, Potentiâ naturali & Impotentiâ, Modificatorum, Conuerſionum, Reductionum, Poteſtatum & Demonſtrationū Syllogiſticarum & tàm multarum præterea rerum, quæ Syngenea eſſe non videntur, ſed ſunt, doctrinam ſibi ſumenti; Non peccas: hæc tua ſunt, hæc

tu

tu tua eſſe facis, quando nempe ea tuo modo Logicè conſideras; non enim ea hîc tractas, prout ſunt, vel res ipſæ, vel rerum prima Noëmata, ſed prout in eis ſecundorum Noëmatum impreſsiones facis & conſideras, ſicut latiùs diximus Theſi 24. Dices Phyſico, communem cauſſarum, motuum, loci, temporis explicationem ſumenti; non Peccas: iſta enim tibi Syngenea ſunt, quandoquidem ea ſint affectiones corporis Naturalis, vel ad intrà vel ad extrà; quæ omninò oportet, vt tradas in Phyſicis, ſi corpus naturale ſubiectum tuũ velis explicatum: nec ad familiam Logicorum pertinent, niſi in quantum modo paulò antè dicto, vel vt qualitates, vel vt Adiuncta noëmaticè conſiderantur. Vt & hîc notanda ſit inconſtantia Rami, qui inter cætera locum & tempus traducit hûc in Logicam, cùm tamen paulò antè, Quantitates in Numeris & Magnitudinibus voluerit eiectas, & ità quod vniuerſaliter reiecit, in ſpecie iterum recepit, contradictoriè: namque locus & tempus etiam ſunt quantitates. Simile iudicium eſto de reliquis exemplis obiectis.

EX

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

EX EODEM FONTE promanat II. Argumentum.

Quicunque altercationes falſarum opinionum, refutationumq́ꝫ Elenchos inſtituit, ille idem inducit confuſiones, Siquidem vitiorum doctrina, non ſit Homogenea virtutum doctrina.

Atqui Ariſtoteles hoc facit, tum cùm in Organo non tantùm veros, ſed & falſos Modos, non tantùm Potentias, ſed & Impotentias Argumentationum deſtruit, tum cùm in alijs Scientijs ſententias veterum refutat. Ergo.

R. MAIOR eſt ſimpliciter falſa: 1. Quia omninò vitia & virtutes tàm ratione proximi quàm remoti generis Homogenea ſunt, ſic & omnia Contraria eiuſdem ſunt Generis, adeò vt eidem Artifici ſubijciantur; & vt cuius ſit agere de Calido, eius quoque ſit agere de Frigido; cuius de Bono, eiuſdem etiam de Malo; cuius ſit agere de vero, eiuſdem etiam ſit agere de

falsò; cuius de virtute, eiuſdem etiam de vitijs; cuius de ſalubribus, eiuſdem quoque de inſalubribus; vt nihil vulgatius nihilque certius ſit, quàm quòd oppoſitorum eadem ſit ſcientia. 2. Quòd contrariorum tractatio non inducat σύγχυσιν, ſed potiùs elegantem & diſtinctam διάκρισιν, palàm eſt ex eo, quòd λύσις τῆς ἀπορίας, εὕρεσιν ſuggerat ad εὐπορίαν, res meliùs explicandi; & quòd cùm vera dicta ſint, ſimulque falſa oſtenſa ſint, fuiſſe falſa; magis fides cõfirmetur, verum eſſe, quod pro vero ſit poſitum: vt in exemplo: Non eſt tanti roboris dixiſſe ſaltem, Ariſtotelis ſententiam de Principijs tribus veram eſſe, quàm ſi inſuper Aduerſariorum ſententiam falſam oſtenderim, & Argumentis fortiter euicerim, falſa illa omnia eſſe: Tunc enim tandem certius confirmatur fides, vt omninò fiat ἀμετάπτωτος.

3. Tertiò. Quòd contrariorum tractatio non ſit de nihilo, ſed multum momenti afferat in omni doctrinæ genere, teſtantur omnes omnium ſeculorum ſapientes, qui non tantùm virtutes, Vera, Bona docuerunt, ſed & Vitia, Falſa, Mala dedocuerunt & refutarunt: vt hîc non Ariſtotelis ſolius, ſed & Platonis, Socratis, omniumque

ſapientum cauſſa agatur. Quibus tribus rationibus grauiſsimis nondum adhuc vlla prægnans Ratio in Maioris confirmationem obiecta eſt, cur ſcilicet non conueniat falſa refutare; niſi quod de breuitate & perſpicuitate affertur. Quod ad perſpicuitatem attinet, ex ſuperioribus Contrarium potiùs verum eſt: Quod ad breuitatem, ſciendum, tunc locum habere breuitatem, cùm ea, quæ per plura abſoluuntur, æquè (abſque vlla imperfectione & mutilatione) per pauciora fieri poſsint; aliàs enim præſtat exegeticam pandere explicationem rei cognoſcendæ ſufficientem, quàm rem ſuccinctis breuitatibus corrugare & inuolue- Talæus loco eodem. fol.230. re. Dices igitur omnibus artibus, tollite altercationes falſarum opinionum, refutationumque Elenchos, & res dimidia ſaltem parte erit explicata & confirmata: Examinate falſa, reijcite, retundite erronea, & veſtram ſententiam plus amplius munietis, & ad vſum eruditionis veſtræ per illam διάκρισιν Homogeneum multum accedit. Vnius enim eſt Philoſophi; & dicere, & ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν.

III. Argumentum.

Quæ naturâ prima, ſecunda, tertia

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

ſunt, primo, ſecundo, tertio loco, in ordinandis diſciplinis, ſunt ponenda.

Atqui Ariſtoteles ſæpè quæ naturâ tertia ſunt, priori loco, quæ naturâ prima ſunt, vltimo loco ponit.

Peccat ergo.

Dial. Ram. cap. 16. lib. 2.

R. Maior non eſt vniuerſalis, ſed indefinita, æquipollens Particulari: Aliquando enim in ordinandis diſciplinis talis ordo, aliquando verò & contrarius ſeruatur, nec eſt neceſſe vniuerſaliter & regulariter vnicè & ſemper hanc vnam ſemitam calcari: Cùm enim ordo diſponendi Artes, hoc vnicum principaliter reſpiciat, ὅθεν ῥᾷστ᾽ ἄν τις μάθοι, hoc eſt, vt res ipſæ ſic tractentur, quò Auditorum memoriæ & facilitati in diſcendo ſeruiatur; cumq; non conducat ſemper iuxta rerum ipſarum naturalem habitudinem, ordinem in docendo quoque perſequi: manifeſtum eſt, aliquando euenire, vt Ordo docendi cum Ordine naturali non coincidat, & non à principijs ad principiata, non à notioribus abſolutè ad notiora nobis, ſed contrà à principiatis ad principia, à notioribus

nobis

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

nobis ad notiora Naturâ progreſſus fiat; non ſecus, ac ſi ab Athlothetis ad metam, & contrà à meta ad Athlothetas curramus & recurramus: quod vbi vnico ſaltem Exemplo demonſtrauerimus, res ſatis erit certa & euidens. Acturus ſim de virtute Morali; duplex mihi via patebit: Syntheticè à principijs ad principiata, id eſt à generaliſsimis ad ſpecialia, vt, 1. Virtutem eſſe accidens. 2. Qualitatem. 3. Qualitatem non nobiſcum natam, ſed conſuetudine paratam, hoc eſt, habitum. 4. Habitum non corporis, ſed animi. 5. Non in Intellectu, ſed voluntate. 6. Et in voluntate Proæreticâ. 7. Per Rectam rationem gubernatâ in Actionibus & affectibus. 8. Gubernatâ certis gradibus, non quibuslibet, ſed qui ſint in Mediocritate. 9. Non qualibet Mediocritate, ſed eâ quæ ſit ad nos & ad Prudentiam ponderata. Vnde totum Principiatum colligitur, virtutem eſſe habitum Proæreticum, poſitum in Mediocritate, quo ad nos, & prout prudens definiat. Et hæc eſt vna via.

Supereſt altera, quæ fit à Principiatis ad Principia. Veluti: ſit Principiatum; (Nihil enim obſtat, quin Defini-

tio & Principium & principiatum diuerſo reſpectu dici poſsit) virtutem eſſe habitum proæreticum, poſitum in Mediocritate quo ad nos, per prudentiam definita: quod Analyticè reſoluo: 1. Si virtus Mediocritas quoad nos, erit ipſa certè Mediocritas. 2. Si Mediocritas, erunt multi gradus actionum & affectuum. 3. Poterit igitur horum eſſe gubernatio per Rectam Rationem. 4. Erit eorum proæretica voluntas. 5. Et ob id ſimpliciter voluntas. 6. Et illa in animo. 7. Illa gubernatio non nobiſcum erit nata, ſed habitus 8. Habitus erit Qualitas. 9. Illa qualitas erit Accidens &c. Quæ omnia mihi ἐν τύπῳ delineâſſe ſufficiat, hoc volenti innuere; nõ plures nec pauciores eſſe, quàm hoſce duos Ordines generales, quorũ hic per σύνθεσιν, ille per ἀνάλυσιν, progreditur, ſeu quorum hic, ἡ ὁδὸς ſit ἐπὶ τὰς ἀρχὰς, ille ἡ ἀπὸ τῶν ἀρχῶν λόγος, vt rectiùs loquimur. Neq; hîc in vna ſpecie plus naturalitatis eſt quàm in aliâ; vtraq; enim eſt naturalis; vtpote, quòd vtriusq; ex naturâ exempla peti poſsint, vt generationis & corruptionis, textionis & retextionis, conſtructionis & deſtructionis, itionis & reditionis, & aliorum infinitorũ, vbi Natura & eam imitans

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Ars, à prioribus naturâ ad poſteriora naturâ, & à poſterioribus naturâ ad priora graditur, regreditur. Atq; hæ duæ ſpecies tam apertè, & manifeſtè extant, vt etiã Aduerſarijs non ſint ignotæ; nomunant enim Analyticam Methodum inuentionis, quòd per eam omnes artes, & res omninò ſint inueniendæ. Dant ergo, Methodum hanc in Inuentione locum habere. Hinc ſi in omni Inuentione eſt, certè ea eſt & exiſtit? Nõ poſſunt hoc negare. Sed inſtant: Non eſſe adhibendã ad Artes tradendas. Concedo etiam hoc: Eſto. Sed interim tamen, licet deſinat adhiberi ad Artes tradendas, An deſinet quoq; ob id planè non eſſe? Nónne erit & manebit adhuc, licet nõ adhibeatur ad tradendas Artes? Cur ergò non reſeruatur ad Artes inueniẽdas? Cur planè reijcitur? Nulla enim conſequentia eſt, cur id, quod vno loco vſum habeat, & alio loco vſum non habeat, reijciendũ ſit protinùs; aliàs & ipſa vnica Methodus illorum, quia, ex dato, vſum in inueniendis artibus non habeat, reijcienda eſſet. Et ſic licet maximè daremus, (ſicut Hypotheſeos loco dedimus) Analyticum Ordinem locum non habere in tradendis Artibus, ſed tantùm in

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

inueniendis , obtineremus tamen adhuc, deberi in Logicis Præceptis hanc Methodum vnà cum altera quoque tradi, vt tàm inueniendi quàm tradendi Artes , Methodus eſſet in promptu. Quàm enim verè eſt Logici , ſcire Modum ex Logica , quomodo aliæ Artes tradendæ ſint : tam verè quoque eſt Logici , ex Logicâ ſcire Modum, quomodo Artes vel inuentæ ſint, vel aliæ inſuper inueniri poſsint. Logica enim χεὶρ totius eſt Philoſophiæ , omniumque eius functionum ; eſtque filum Ariadnæum tàm texendi quàm retexendi. Et licet hîc Diſcipulos iubeant ſecuros eſſe , & in vtramq; aurem dormire , eò quòd totus Inuentionis Modus ſolius Præceptoris ſit ; tamen in eo obicem non tollunt , nam & ipſi Præceptores indigent τρόπω, Regulâ ſeu Methodo Logicâ, quâ illi ſuum curſum inuentionis dirigere debeant , & monſtrare etiam diſcipulis, quo curſu inuentionem ſuam direxerint, aut Logicæ vſus erit nimis ſtrictus, & relinquet partem munij ſui debiti indirectam.

At verò hîc reſpondebunt, tradidiſſe ſe hanc Inuentionis Methodum, lib. 1. Dialectices ampliſsimè , quomodo & Ar-

tes

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

tes & res omninò omnes ſint inueniendæ, traditamque hanc viam in loco diſtributionis. Sed hîc monendi ſunt, vt accuratiùs cogitent, quod hîc de nuda Diſpoſitione rerum quatenus ordinantur, & hæc poſt illa ponuntur & diſponuntur, agatur: quæ certè Diſpoſitio in primo libro nullo modo doceri poteſt: ſemper enim ex Ramo hactenus didici, Methodum ſeu ordinem diſponendi, ad Criticam, non ad Topicam pertinere; Atqui Methodi altera ſpecies eſt etiam Methodus; eſt etiam Diſpoſitio; & licet inuentio dicatur, eſt tamen non ipſa Inuentio, ſed Inuentionis Diſpoſitio & Cynoſura, ad cuius normam Inuentio diſponi, & certâ τάξει ordinari debeat: Quem Ordinem in quantum eſt Ordo & Diſpoſitio, & in quantum eſt ductus, vnum poſt alterum ritè collocandi, poſteriora Naturâ, prioribus Naturâ præmittendi, iterúmque poſtponendi, in Topicam velle reijcere, tam abſurdum eſt, vt etiam homines hi in propria viſcera ſuarum (neſcio quarum) Legum videantur ſæuire, & vt hîc pro Ramo ipſo militandum ſit nobis, qui rectè Methodi doctrinam ad Criticam reiecit. Topica enim ipſius docet tantùm inuenire Argu-

menta, non verò quicquam docet de Ordine ſeruando INTER INVENIENDVM, Argumenta hîc & illîc collocandi & ordinandi, vt vnum alteri INTER INVENIENDVM non tantùm cohæreat, ſed etiam vt omnia ſibi gradatim & ritè ſubordinentur. Quod ſi verò hîc vnicam ſuam Methodum locum habere dixerint, tum Methodus hæc vna & eadem erit cum eâ, quàm ex dato Methodum Inuentionis vocarunt: & committentur alia multa abſurda contra datam ſemel Hypotheſin. His addo tandem, poſſe quoq; negari, ſuprà Hypotheſeos loco datum, quod dicunt, Analyſin tantùm in Inuentione, nunquam in Traditione locum habere: aliquando enim Artifices Artes ſuas eodem planè tradunt modo, quo inuenerunt. Et cùm hoc faciunt, non obſcurant ea quæ volunt illuſtrare (vt obijciunt Ramiſtæ) aliàs ſi hoc verum eſſet, ne in Inuentione quidem vſum hæc Methodus haberet; quiſnam enim eius vſus, ſi obſcuraret ea, quæ quærimus cognoſcere & illuſtrare? Sic item non obruit memoriam multitudine & confuſione repetitarum rerum, cùm nulla ſit repetitio generalium in ſingulis ſpeciebus,

ebus, ſed ex ſingulis ſpeciebus ad generalia Aſcenſio: ſi enim obrueret memoriam, quem quæſo vſum præberet ad res ignotas per eam inueniendas? Atqui iam, ex dato Aduerſariorum, vſum habet in Inuentione, Ergo non obſcurat, non conturbat, non obruit vllam mentis intelligentiam aut memoriam. Vnde tandem concluditur, rectè duplicem Methodum ſtatui, non vnam tantùm.

Et hæc de præcipuis Obiectionibus Ramiſtarum dixiſſe ſufficiat, quibus ſolutis, ex omnibus eorum obiectis facilè ſe quiuis expediet. Tu lector, hæc boni conſule, eáque Prodromi loco habe, donec Synopſin noſtram in totum Ariſtotelis Organon, particulatim Ariſtotelem explicantem & defendentem, quæ nunc ſub manibus eſt, Deo volente, in lucem mittamus.

Τῷ θεῷ δόξα.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 53 [14,-46 8°]